Digitized by Google

EVERARDI OTTONIS,

JCti & Anteceſſoris,

DE

JURISPRUDENTIA SYMBOLICA

EXERCITATIONUM

ΤΡΙΑΣ.

TRAJECTI ad RHENUM,

Apud ANTONIUM HOFMANS.

cIↄ Iↄccxxx.

by Google

CANDIDO & ERUDITO

LECTORI

S. D.

EVERARDUS OTTO.

Nondum eluximus Gundlingium noſtrum, eruditæ Germaniæ nuper grande lumen, quod nimis, ah nimis cito Libitina inexorabilis exſtinxit. Tantam jacturam omnes, quibus communia Themidis & Muſarum ſacra curæ ſunt, velut indicto funere, lugent, eamque ob hoc magis immaturam eſſe queruntur, quod Vir præclarus immortale aliquid indies parabat, ſuique memoriam operi-

 bus

bus victuris extendebat. Me autem caſus ille graviore dolore confudit, quod amiſi ſtudiorum olim rectorem & magiſtrum; poſtea fautorem & amicum certiſſimum; qui, magno licet temporum & locorum intervallo diviſus, quam ſemel erga me conceperat voluntatem, conſtantiſſime ſervavit. Hæret animo meo, ſemperque hærebit jucundiſſima benevolentiæ memoria, qua me, in illo vernantis ætatis flore, ſtudiorum cauſa, Halæ degentem, Viri Illuſtres, & eruditionis gloria Clariſſimi, Thomaſius, Ludewigius & Bœhmerus complexi ſunt: adeo ut inter ea, quæ hac in vita mihi felicia contigerunt, crebris ſermonibus prædicare ſoleam, tales, tamque acris judicii, infinitæ lectionis, & dili-

gentiæ plane ſtupendæ Doctores me nactum eſſe, quos nunquam per triennium adii, ut non ex iis audirem, per quæ melior & doctior diſcedere poſſem. Verum, ut arctius vinculum eſſe ſolet commune diſciplinarum ſtudium, ita Celeberrimus Gundlingius inprimis ducem ſe mihi præbebat, ad jus Naturæ, Publicum & Notitiam rerumpublicarum, ex ingenuis fontibus hauriendam: quam ob rem accidit, ut quem ego, filii inſtar, ſine fuco amabam, is mihi aditum aperiret ad amicitiam, viamque illam regiam, & ore & libris monſtraret, qua nunc Auditores meos ad amplioris fortunæ cultum excitare contendo. Quod ſi ingrati hominis invidiam effugere vellem, tantis virtutibus & in

me meritis munuſculum aliquod, in perpetuum, ſi id ſperare liceat, obſervantiæ meæ monumentum, debebam; ipſe etiam Vir Illuſtris, literis humaniſſimis teſtatus erat, ſe auctoritatem non defugere, quominus haſce Symbolicæ Juriſprudentiæ primitias nomine ejus proſcriberem, cum ecce repentina mors calamum mihi de manu excuſſit. Unum ergo, quod mihi, citra adulandi ſuſpicionem, nunc reſtat, ſanctiſſimis Viri manibus perſolvo, palamque profiteor, excellentem ejus eruditionem, quam præſtantiſſima ingenii monumenta loquuntur, tum niveos, quos penitus inſpexi, mores, & bonitatem nemini clauſam, multisque Auditorum millibus notam, apud me, dum vivo & ſpiro, haud intermori-

moritura eſſe. Ceterum, Amice Lector, de inſtituti mei ratione & utilitate, ut tempora Tua morer, non multum neceſſe eſt; quum pleraque in Exercitationem primam conjecerim. Id tantum addo, vaſtum illud & varium Juriſprudentiæ ſymbolicæ corpus, ex omnium moratiorum populorum, maxime vero ex Græcorum, Romanorum & Germanorum jure Publico & Privato, Canonico & Feudali conficiendum, a me non promitti, nec præſtari poſſe: præcipua vero ejus capita exiſtimavi in tres Exercitationum triades, exercitiis diſputatoriis, ob jucundam rerum varietatem, deſtinatas commodum dividi, & hoc modo digeri poſſe, ut I. agatur de Origine, progreſſu, fatis, uſu & abuſu

 ſym-

ſymbolorum, in Juriſprudentia. II. De Symbolis, a partibus corporis, a capite ad calcem, petitis. III. De Adoptione ſymbolica, divina & humana, vera & honoraria. IV. De Nuptiis per Confarreationem, Coëmptionem & Uſum contractis. V. De Traditione Symbolica, ex jure Civili, Canonico, Feudali & Hodierno. VI. De Jurejurando corporali. VII. De Teſſeris belli & pacis. VIII. De Inſignibus Regum & Magiſtratuum. IX. Satura variorum ſymbolorum ex omni jure adjiciatur. Tres Exercitationes priores hoc faſciculo, velut proluſionem, accipi volo, qua viri ſapientiæ & eruditionis laude præſtantes, velut claſſico, excitentur, ut bonas aliquot horas, in nobiliſſimi hujus argumenti

menti inveſtigatione collocare, atque ex ſua rerum antiquarum & recentium penu, ſymbolam conferre non dedignentur. Quo tempore ceteræ lucem ſint viſuræ, ipſe non temere dixerim; & qui lubrica rerum humanarum, ſtatasque horas ſex ſeptemve quotidianis recitationibus impendendas, mecum reputant, facile intelligent, ad exhibendum formulam in certum diem concipi non poſſe: majorem quoque Lectori meo reverentiam habere didici, quam ut ſplendidis promiſſis hiantem deludere amem. At ſi Deus vitam & paullo largius otium dederit, gravioribus ſtudiis intermiſſis, e via velut in hoc amœnum diverticulum excurram, non ceſſaturus, donec ex materiæ, quantum ſatis

 eſt,

eſt, congeſtæ acervo, ſpartam ſuſceptam pro virili parte ornaverim. Si vero homines ingenii exprompti tarditatem meam, quaſi ex gente Lentulorum ſim, accuſent, & quicquid ſymbolorum eſt, uno volumine copulandum fuiſſe exiſtiment; his repono, celeriter nata, cito interire, & vix ordinatum eſſe poſſe, quod præcipitatur. Illud quoque prævideo eventurum, ut multa effugiant oculos noſtros, alibi etiam hallucinari contingat, ubi Oedipo opus eſt: ſed quod ingenio deeſt, id ſtudio, labore & ſedula meditatione compenſare annitar. Spero etiam, in argumento diffuſo, cujusque partem magnam fugitiva nobis ademit oblivio, æquis Cenſoribus ſatis fore, ſi plurima non male exhibeam: nam & bonus

bonus vinitor botros ad racemationem relinquit, nemoque fuit homo tam ſollicite diligens, qui in ubere meſſe, non reliquerit ſpicilegium. Denique ſi aliquando ſymbola, ab aliis obſervata, diligentius tractem; aut, quod magis mihi ſolenne, laudatis auctoribus, digitum in ea intendam; vel præter artis meæ profeſſionem, ſacris ſubinde ſcriptoribus, tanquam explorator, manum admoveam, neminem tam iniquum fore ſpero, ut mecum repetundarum, vel finium regundorum experiatur: plenum enim ingenui pudoris ſemper viſum fuit, profiteri per quos profecerim, & quotquot ſunt diſciplinæ ſororio quaſi vinculo connectuntur. In ſacris, lubens fateor, idem mihi accidere, quod de ele-

elephantis dici ſolet, amatores fluminum eſſe maximos, ſed imperitos natandi; ſi quid ergo in iis, quæ ad illuſtrationem fundi noſtri inde petuntur, à me peccatum fuerit, ut æqui bonique conſulas, & quod veritati diſſentaneum eſt, id non dictum habeas, majorem in modum rogo & obteſtor. In ceteris placebit Ariſtophanis monitum, ut quæ conjecturis nititur diſceptatio, ſine pertinacia inſtituatur. Tu longum vale, mi Lector, & conatibus noſtris favere perge. Trajecti ad Rhenum a. d. XIII. Jan. cIↃ IↃCCXXX.

SUMMARIUM.

EXERCITATIO I.

De Origine, Progreſſu & Fatis Symbolorum; in Juriſprudentia.

CAP. I. *Laus Juriſprudentiæ Symbolicæ, & ratio inſtituti.* Pag. 1
II. *Quid ſit Symbolum, Symbola & Symbolus.* 6
III. *Symbolorum varia genera.* 11
IV. *Origo Symbolorum divina.* 15
V. *Symbola maxime ab Ægyptiis.* 19
VI. *A Judæis & Ægyptiis Symbola manaſſe ad ceteras gentes.* 24
VII. *Symbola aliorum populorum diverſa.* 31
VIII. *Symbola Phœnicum.* 36
IX. *Symbola Græcorum.* 41
X. *Symbola Romanorum.* 49
XI. *Symbola Germanorum.* 60
XII. *Sacerdotes Symbolorum artifices.* 68
XIII. *Symbola initio fuiſſe rudia, exemplo ſtipulationis declaratur.* 74
XIV. *Symbola unde cultiora facta.* 80
XV. *De Cauſis Juriſprudentiæ Symbolicæ.* 88
XVI. *Fata Symbolicæ Juriſprudentiæ Romanæ.* 95
XVII. *Judicia quædam Ciceronis, Senecæ & Plutarchi de Symbolis excuſſa.* 106
XVIII. *An recte Juſtinianus Symbola* antiquas fabulas *appellarit?* 115

EXERCITATIO II.

De Symbolis JCtorum, a partibus corporis petitis, a capite ad calcem.

Cap. I. *De Nutu capitis; ad l. 52. §. pen. D. de Obligat.* Pag. 126

II. *De Fronte, pudoris ſede; ad l. 13. D. de Teſtibus & l. 17. C. de pœnis.* 132

III. *De Aure memoriæ ſymbolo; l. 21. D. de Furtis illuſtrata.* 138

IV. *De Capillis, varias ob cauſas olim ſubmiſſis vel detonſis; ad l. 15. §. 27. & l. 39. D. de injur.* 150

V. *De Barba demiſſa & demeſſa; ad l. 15. §. 27. D. de injur.* 157

VI. *De Oſculis; ad l. 16. C. de Donat. ante nupt. & l. 1. C. de Domeſt. & protect.* 162

VII. *De Capite aperto & operto; ad l. 1. §. 5. D. de poſtul. l. 10. C. de teſt. man. & l un. § 5. C. de Lat. lib. toll.* 169

VIII. *De Manu, poteſtatis ſymbolo; ad l. 2. §. 1. de O J. & l. 4. D. de Iuſt. & jur.* 173

IX. *De prohibitione* per manum, *id eſt lapilli jactum; ad l. 5. §. 10. D. de oper. nov. nunc. & l. 20 §. 1. D. quod vi aut clam.* 179

X. *Dextra fidei inſigne: Pignus a pigo: Emiſſa manus: l. 15. D. de probat. & l. 238. D. de V. S. illuſtratæ.* 186

XI. *Dextra hoſpitii privati & publici ſymbolum; ad l. 5. §. 2. D. de capt. & poſtl. rev. & l.*

illi.

ult. §. 19. *D. de mun. & hon.* 191
XII. *De Digitis Minervæ ſacris, & annulo honoratis; ad l.* 22. §. 5. *D. qui teſt. fac. l.* 77. §. 21. *de leg. lib.* 2. *& tit. D. de jur. aur. ann.* 198
XIII. *Digitorum percuſſionem non fuiſſe ſymbolum cretionis; ad l.* 1. *& l.* 8. *C. Th. de mat. bon. & l. un. C. Th. de cretion.* 205
XIV. *De Cinctu Lateris, Marti dicato; nec non de teſtamento* in procinctu; *ad* §. 1. *Inſt. de teſt. ord.* 211
XV. *De cinctis Horatiis & diſcinctis militibus, ac magiſtratibus; ad l.* 3. *D. ſi pars hered. pet. & l.* 2. §. 2. *D. de his qui not. inf.* 218
XVI. *Genua miſericordiæ, Sinus & Gremium tutelæ & amori conſecrata; ad l.* 6. §. 3. *C. de Adv. div. judicum, l.* 4. *C. de Conſul. & ad l.* 3. *C. de poſt. hered. inſtit.* 224
XVII. *Pes quodvis rei fundamentum, & ſymbolum poſſeſſionis. Calceus indutus ſignum obligationis, exutus liberationis. Oſculum pedum recipere ſuperbiæ inſolentiſſimæ; ad Deut.* xxv. *vſ.* 7. *& l.* 1. *l.* 3. §. 5. *l.* 18. *D. de acq. vel am. poſſ. l.* 25. §. 4. *D. de aur. & arg. leg.* 231
XVIII. *Honos ſedendi Magiſtratuum & Judicum: neceſſitas ſtandi litigantium & poſtulantium; ad l.* 1. *C. de off. jud. civ. & l.* 6. *fin. C. de adv. div. judicior.* 237

EXER-

EXERCITATIO III.

De Adoptione Symbolica, divina & humana; vera & honoraria.

CAP. I. *De Adoptionis antiquitate & cauſis.* P. 244
II. *De variis adoptionum ritibus, apud Romanos, qua Principes, qua privatos.* 263
III. *Comparat effectus Adoptionis divinæ & humanæ.* 262
IV. *De ritu partionis in adoptionibus plerarumque gentium.* 271
V. *De ritu adoptandi Romanorum domeſtico, ad focum, aramque Penatum, & in cubiculo, ante torum genialem.* 279
VI. *De ſymbolis adoptionis divinæ, in Circumciſione, Baptiſmo Proſelytorum Judaico, & in Baptiſmo Chriſtianorum.* 297
VII. *De adoptione ſpirituali per Baptiſmum, ad l. 26. C. de nupt. & Nov. Leonis 24.* 309
VIII. *De adoptione ſpirituali per Catechiſmum, Confirmationem, Mitram, Mantum & Pœnitentiam.* 318
IX. *De adoptione per Capillos.* 326
X. *De adoptione per Barbam.* 332
XI. *De adoptione Principum vera, & honoraria, dicis & amicitiæ cauſa.* 337
XII. *De adoptione Principum & Privatorum honoraria per Arma.* 343
XIII. *De adoptione Principum & Privatorum in fratrem, per Preces, per Arma, & per ſanguinis Potum.* 352

EVER-

EVERARDI OTTONIS

EXERCITATIO PRIMA,

DE

ORIGINE, PROGRESSU ET FATIS SYMBOLORUM IN JURISPRUDENTIA.

CAPUT I.

Laus Juriſprudentiæ Symbolicæ, & ratio inſtituti.

UNa quidem eſt Juriſprudentia rerum divinarum & humanarum notitia; ſed quæ, pro diverſa tractandi methodo, & latiſſimo ambitu, varia nomina ſortitur. Alia etenim Grammatica legum eſt explicatio, alia Hiſtorica, alia Juridica, alia Politica, alia denique Symbolica; quæ jus ce-

remoniale continet, quod juris legalis pars eſt. Hæc quo latius per omnium gentium leges, mores & inſtituta ſeſe diffundit, eo magis ſæpe miratus ſum, a nemine eam hactenus profeſſa opera excultam eſſe. Juſtus Lipſius, Belgarum dum viveret doctiſſimus, tanto operi par erat, & *Ritualium* libros meditabatur; in quos congeſturus erat quicquid in moribus priſcis eſſet obſcurum, materia ab annis fere triginta parata, auctore Miræo in Elogiis Belgicis; ſed fata nobis utiliſſimum fœtum inviderunt. Eorum, qui ſymbola, à plantis & animalibus, ſive in ſacris literis, ſive in gentium nummis & ſigillis, deprompta explicarint, frequentior annona eſt; neque laude ſua defraudandi ſunt, qui unam antiquitatis partem, v. gr. de teſſeris, haſtis, aris, pileo, toga, calceo, &c. ſibi exhauriendam ſelegerunt: alius autem plerîſque propoſitus fuit ſcopus; pauciſſimi, quæ ad Juriſprudentiam exornandam faciunt, attigerunt. Videas etiam paſſim, qui, luxuriante ingenio, philoſophicas nimis & ſublimes ſymbolorum adferunt rationes, ubi naturales præſto ſunt, aut vera cauſa, quæ homines rudes, in paſtoritia vita, moverit, ignoratur. Alii, quæ bis aut ſemel in veterum monimentis occurrunt, pro more aſſiduo venditant; vel fabuloſa illa, ævo Saturni aut Trojæ, a Poëtis me-

memorata, cum infimis florentis Græciæ & Imperii Romani temporibus conjungunt; aut ludicra denique & fortuita in ritus perpetuos convertunt. Juriſconſultorum ſane pauci, & hi non niſi ſparſis obſervationibus, ad has amœnitates, animum demiſerunt; ſive quod ceteri, gravioribus & mage neceſſariis occupati, hoc ſtudium ſepoſuerunt; ſive quod ſeveriores antiquas fabulas, peneque pueriles, aut certe flores tantum, non fructus hic legi exiſtimarunt; quum niſi utile eſſet, quod agerent, ſtulta iis gloria videbatur. Hoc tamen non ideo prolatum eſſe volo, quaſi plus reliquis ſapere, ſtolida arrogantia, mihi perſuadeam; ſatis enim ſcio, quam curta in hoc, & alio omni ſtudiorum genere, animi ſit ſupellex: nec ſpartam hanc multo labore & ingenio, ex priſcæ hiſtoriæ ſpoliis, & medii ævi monumentis eruendam, recte a me ornari poſſe: quod ſi autem tantum felicitatis mihi tributum fuerit, ut, edita hac delineatione vaſtæ materiæ, & ſymbolis gentium conſimilis monetæ, per indicem quaſi, in ſuam tribum digeſtis, alios ſaltem ad ea illuſtranda excitare poſſem, operæ pretium me feciſſe arbitrabor. *Genus enim ſymbolicæ interpretationis eſt ad multa utiliſſimum, ut quod & ad rectam conferat Theologiam, & pietatem, & ad judicandam ingenii ſolertiam, & brevitatis exerci-*

tationem, & ad demonſtrandam ſapientiam. Sapientis enim eſſe uti dictione ſymbolica, appoſite dicit Didymus Grammaticus, & declarare id, quod per eam ſignificetur, verba ſunt Clementis Alexandrini lib. v. Stromat. pag. 569. Profecto, ſi leges ſcire, non eſt verba earum tenere, ſed vim, poteſtatem, cauſas, ritus, commoda & incommoda noviſſe; omnes quotquot non plebejam, & viliſſimæ meretricis inſtar paſſim proſtantem, ſed veram illam & antiquam Jurisprudentiam affectant, facile nobiſcum ſentient, ſymbolica juris cognitio quantum habeat utilitatis & voluptatis. Per eam quoque variarum gentium & ætatum antiquitates, ac innumeræ optimorum quorumvis Auctorum locutiones & parœmiæ, à ritibus deſumtæ, illuſtrantur, quarum vim ideo tam raro aſſequimur, quod illas priſci ævi conſuetudines ignoramus. Non nego, primam Juriſconſulti dotem eſſe, ut legum, quibus & Principes & privati in civitate utuntur, & ad cavendum, & ad agendum, & ad reſpondendum ſit peritus. Quod ſi vero aliquis Juris ſcientiam ab elegantia doctrinæ ſegregandam eſſe exiſtimet, næ is nunquam ſe turbæ eximet, ſed inter circumforaneos numerabitur, quibus nil rectum aut expetendum eſt, niſi quod præſentem nummum ferat. Magna pars ſtudiorum amœnitates quærimus, ad Veſpaſianum

num

num olim Plinius major ſcribebat, & hodie, qui miſcuit utile dulci, omne punctum tuliſſe cenſetur. Bene Philo de Migrat Abrah. *Sunt, qui dum putant ſcriptas leges eſſe ſymbola & figuras intelligibilium, his inveſtigandis diligenter dant operam, illas facile negligunt, quorum mihi non placet facilitas. Debuerant autem utraſque curare, ut & obſcura quærerent accurate, & manifeſta ſervarent diligenter.* Pariter ergo ac nonnulli veterum Juriſconſultorum unam Jurisprudentiæ partem diligentius ſibi pertractandam ſumſerunt; & Medicorum alii vulneribus, alii oculis, alii morbis medentur: ita nil eſt, quod vetet, quominus, artis noſtræ latifundiis in partes digeſtis, per portiones excolamus, quæ, in fragili hac & infirma mortalitate, junctim elaborari non poſſunt. Priusquam vero ad ſelecta juris Gentium & Romani, Publici & Privati, Canonici & Feudalis capita accedamus, juvabit, prima hac Exercitatione, de ſymbolorum origine, progreſſu, uſu & abuſu quædam præfari: niſi enim me omnia fallunt, ejusmodi præparatio & lubentius nos ad lectionem propoſitæ materiæ perducet, & cum ad ſingula venerimus, evidentiorem præſtabit intellectum.

CAPUT II.

Quid ſit ſymbolum, ſymbola & ſymbolus.

Symbolica Jurisprudentia a Symbolo nomen habet; quod eſt indicium, ex quo de re conjectare licet: *ἀπὸ τȣ͂ συμβάλλειν, conjicere.* Cicero in Topicis *notam*, Heſychius σημεῖον interpretatur. Uſus vocabuli latiſſime patet, apud Græcos & Latinos; ac ad quævis inſignia, argumenta, pactorum & traditionum confirmationes referri ſolet, quibus fides exhibenda vel exhibita ſignificatur. Grammatici autem veteres annulum ἁπλῶς ſymbolum expoſuere; quia is arrhæ locum plerumque obtinebat, tum quando arrha nondum velocior erat. *Annulum Græci a digitis appellavere: apud nos priſci ungulum vocabant; poſtea & Græci, & noſtri ſymbolum*, ſcribit Plinius lib. XXXIII. Hiſt. Nat. c. 4. Nec ſolus annulus in ſymbolis: nam Juda, Jacobi filius, præter δακτύλιον, faſciam ſuam & ſcipionem Thamari in arrhabonem dedit, Geneſ. XXXVIII. 18. Ballio & Miles imaginem, ceræ impreſſam, ſymboli vicem inter ſe conſtituunt, apud Plautum Pſeud. Actus IV. Sc. 2. vſ. 44. *Symbolum eſt in epiſtola.* B. *Video, & agnoſco ſignum.*

Ali-

Aliquando nummus in duas partes ſciſſus, & utrique contrahentium datus, ratos fecit contractus, καὶ σύμβολον βραχὺ νομισμάτιον, ἡμίτομον τι νομίσματ☉, *& ſymbolum tenue quoddam numiſma, ſemiſecta ſcilicet nummi pars*: verba ſunt Julii Pollucis lib. IX. c. 6. *n.* 71. Baculus, quem miniſter publicus judicibus Athenis dabat, σύμβολον dicitur, apud Scholiaſt. Ariſtoph. ad Plutum, & Suidam in βακτηρία. Sic Philoſtratus in Herode, lib 2. cap. 8. de Vitis Sophiſt. lunulam, in calceis Senatorum, ξύμβολον τῆς εὐγενείας, *ſignum nobilitatis*; quemadmodum Plutarchus Quæſt. Rom. cap. 101. bullam, quam pueri ingenui collo ſuſpenſam geſtabant, σύμβολον εὐβουλίας, *ſignum probi conſilii* appellavit. Omne præterea ſignum, quod ad alicujus dignitatis aut voluntatis ſignificationem adhibebatur, Symbolum erat; atque ideo Juſtinianus codicillos eburneos, & σφυρηλάτους δέλτους, quibus Auguſti dignitates conferebant, σύμβολα appellavit, *Nov. conſt.* 25. 26. 28. 70. *&* 81. quia imagines mulierum & provinciarum. aliaque honoris inſignia & gradus, σύμβολα τῆς ἀρχῆς, in illis picta cernebantur. V. Zoſim. lib. IV. Hiſt. c. 28. fin. Quamvis autem hæc vox, pariter ac *inſigne* Latinorum, latiſſime accipiatur, tamen nobis tantum notam corporalem, aut facta externa notat, quæ negotiis civilibus adhibentur, ad

ea potiſſimum, quæ incorporalia ſunt, ſolaque mente cernuntur, ſignificanda. Proprie enim ſymbolum nihil aliud eſt, quam res occulti aliquid denotans, qua viſa vel audita, id quod ſignificatur, animo ſtatim conjicere licet. Excludimus ergo Philoſophorum ἱερὰ ἀποφθέγματα, ænigmata & emblemata heroica, ſigna item naturalia, quæ moralis potius, & phyſicæ ſunt demonſtrationis. Omne ſymbolum eſt ſignum, non contra. Divus Matthæus oſculum, quod Judas ex compoſito conſtituerat, σημεῖον, Marcus σύσσημον vocat: quum fuerit ſymbolum mutum, & teſſera proditionis. *Tacitum dat teſſera ſignum*, Silius cecinit lib. xv. 478. Medici ſua morborum & vitæ longævæ σημεῖα habent naturalia, non ſymbola; at faſciolas, cubitalia & focalia *inſignia morbi* Horatius appellavit lib. II. ſat. 3. vſ. 254. & illi, quibus mors imminet, *ſymbolum Charontis* accepiſſe, apud Ariſtophanem, in Pluto, dicuntur. Fletus mœroris, riſus hilaritatis index eſt. Hirundo tempus vernum, aurora ſolem mox oriturum annunciat: ficus folia ſignum æſtatis vocavit Chriſtus. Verum ſymbola ex inſtituto ſunt, & pleraque mero arbitratu facta. In nonnullis ſimilitudo quædam, & communitas naturæ apparet, ut tamen conventio expreſſa, vel mos diuturnus eam comitetur. Sic fumus & flamma naturale

rale indicium ignis præbent; quod ſi vero ex Pharis & ſummis montium verticibus, per ea diſſitis ſociis, aut copiis diviſis, irruptio hoſtilis ſignificetur, ut olim apud Hebræos & Perſas, hodie apud Helvetios, tum denium ſymboli loco excitantur. Πυρσοὶ & φρυκτοὶ vocantur apud Pollucem lib. 1. ſegm. 139. & tale erat σύμβολον τῆς νίκης apud Zoſim. lib. III. c. 25. juncta. *l.* 10. *D. Incendio ruina.* Nulla deinde connexio phyſica in ſymbolis requiritur, ut in ſignis naturalibus, ſed ſufficit aliud quiddam, a propria rei imagine diſtinctum, eo transferri: ut aquila Jovis, gallus Mercurii, & πάρδαλις τῦ Θεῦ σύμβολον, de Baccho Philoſtratus lib. 1. Icon. c. 15. Sic παράσημα, inſignia & ſymbola navium erant dii, heroes, animalia in prora picta, à quibus illæ nomen ſortiebantur. Act. Apoſt. 28. vſ. 11. Tacit. VI. Annal. cap. 34 Hinc etiam omina diabolica, vaticinia, & notæ, ab arbitrio ſortilegorum pendentes, ex quibus bonum aut malum augurium petebant, crebro σύμβολα dicuntur, apud LXX. Interpr. Oſeæ IV. vſ. 12. Ælianum lib. 11. Var. Hiſt. c. 31. & Suidam, cujus verba: *Σύμβολον. οἰώνισμα. σημεῖον. μάντευμα. augurium. omen. ſignum. vaticinium.* Illud forte monere ſupervacaneum foret, inter σύμβολον & συμβολὴν, non leve diſcrimen eſſe; ut Viri Cl. Stephanus de Abuſu linguæ

Græcæ c. 1. Salmaſius c. 3. de Uſuris, & Caſaubonus in animadv. ad Athenæum lib. III. c. 31. prolixe oſtenderunt: niſi ipſe Daniel Heinſius τὸ σύμβολον in paraphraſ. Ariſtotelis lib IV. Polit. c. 9. per ſymbolam, quæ in collatitia confertur cœna, explicaſſet. Rectius alii συμβολὴν legunt; ſed & ſalva priore lectione dici poteſt, ſymboli unius partes duas collatas aliquando integrum conſtituiſſe, ut Pollux nos docuit, loco ſupra indicato. Pejus Nicolaus Cauſſinus, in pr. Symbolicæ Ægyptiorum ſapientiæ, dicam Caſaubono ſcripſit, Hieronymi auctoritate nixus: at nemo eſt, qui hunc claſſicum Græcæ aut Latinæ linguæ auctorem agnoſcat. Noti ſunt *aſymboli* apud Terentium: notus eſt *ſymbolarum collator* apud Plautum, qui fercula ad commune convivium colligebat. Pauſanias lib. VIII. c. 54 Alphei fluvii caput, ubi aqua e fontibus pluribus concurrens influebat, *ſymbolam* dictam eſſe refert: καὶ διὰ τȣ̃το τῷ χωρίῳ Σύμβολα γέγονεν ὄνομα. Etiam in can. 55. Concilii Laodicenſis, Clerici & Laici prohibentur ἐκ συμβολῆς συμπόσια ἐπιτελεῖν, *ex ſymbolis convivia celebrare:* ſic enim vertit Gratianus, in *can. Non oportet* 10. *Diſt.* 44. & ſymbolas *comeſſalia* interpretatur. Denique, ut Plautus *ſymbolus* pro *ſymbolum* dixit, ſic apud Juſtinum lib. II. c. 12. *ſymboli* ſunt ςῆλαι,

λαι, ἐπιςήματα, cippi & columnæ monimentorum, in quibus epigrammata, ænigmata & ſymbola ſcribebantur, quæ cujusque miniſterium, quod in vitæ decurſu exercuerat, indicarent; more antiquiſſimo, & jam apud Homerum celebrato, cujus etiam exempla apud Gruterum pag. 640. n. 2. & pag. 517. n. 7. extant, & pleniore luce Fabrettus cap. IV. Inſcript. pag. 274. ac Malvaſia marmor. Felſin. pag. 67. ſect. 2. affuderunt.

CAPUT III.

Symbolorum varia genera.

Non una ſymbolorum eſt diſtinctio. Primum enim ab uſu ſunt ſacra vel profana, militaria vel pagana, publica vel privata. Publica cum ipſis ſtatim Regibus enata eſſe videntur; ſimplicia primum, ut haſta, gladius & ſerta, ex floribus herbisve contexta: quibus deinceps, creſcente luxu & ambitione, ad eminentiam & auctoritatem regiam in populi animis excitandam, ſceptra, coronæ, unguenta, diademata, mitræ, tiaræ, ſolia, aliæque multæ myſteriorum ſecretiſſimorum imagines acceſſerunt. Dionyſius Halicarnaſſenſis σύμβολα τῆς ἡγεμονίας: Appianus σύμβολα τῆς ἀρχῆς: Herodianus σύμβολα τῆς βασι-

βασιλείας: Dio Coccejanus *κοσμήματα τῆς ἡγεμονίας*; Dio Chryſoſtomus *βασιλείας σημεῖα* appellavit. Cicero faſces & ſellam curulem *inſignia Reip.* vocat, de Lege agrar. orat. 1. c. 6. Virgilius de ſceptro & corona lib. VIII. Æneid. vſ. 506. *mandatque inſignia Tarchon.* Apud Juriſconſultos quoque crebro prætexta & faſces *inſignia Magiſtratuum, Conſularia, Proconſularia* & *Prætoria* memorantur, in *l.* 1. §. 5. *D. de Poſtul. l.* 2. *pr. D. de His qui not. infam. l.* 1. *D. de Offic. Procons.* Præterea à modo ſignificandi ſymbola vocalia ſunt vel realia; prout voce vel aliis rerum ſignis exprimuntur. Verborum ſymbolis in ſacris myſticis utebantur Matris Deûm ſymmiſtæ & ſynorgiſtæ Liberi Patris, quique Eleuſiniorum participes erant, ut dignoſcerentur; eaque Apulejus in Apolog. *ſigna*, *monumenta* & *memoracula*, Clemens Alexandrinus *συνθήματα*; Arnobius, lib. v. adverſus gentes, *ſymbola* appellavit. *Eleuſiniorum*, inquit, *veſtrorum notas & origines producunt turpes, antiquarum elogia literarum: ipſa denique* ſymbola, *quæ rogati ſacrorum in acceptionibus reſpondetis: jejunavi atque ebibi cyceonem, ex ciſta ſumſi & in calathum miſi* &c. Pythagoreis quoque ſymbola ſua & ænigmata, ut Plutarchus vocat, pro teſſeris erant, quibus ſe internoſcerent, uti ejus rei exemplum extat

ſtat apud Jamblichum lib. 1. de vita Pythagoræ c. 33. Multa multi, & veteres & recentiores, de iis ſcripſere, ſed Lilii Gyraldi liber ſingularis de iis inprimis adeundus eſt. Similiter militarium ſymbolorum, quibus vel ad opus, vel ad profectionem, vel ad prælium movebatur exercitus, tria genera commemorat Vegetius lib. III. de re milit. cap. 5. *vocalia*, *ſemi vocalia* & *muta*, quorum duo priora auribus, poſteriora oculis percipiuntur; illa συνθήματα, hæc παρασυνθήματα appellant Græci. Vocalia plerumque belli duces ſumebant à fauſtis ominibus, vel nomine Dei aut Imperatoris, à quibus victoriam exſpectabant. Sic Judæ σύσσημον fuit *Nobiſcum Deus*, 2. Maccab. VIII. ℣. 23. Cyri Ζεὺς σωτὴρ καὶ νίκη, *Jupiter Servator & victoria*, apud Xenophontem lib. 1. de Exped. Cyri. In prælio Pharſalico, a parte Cæſaris σύνθημα erant, *Venus victrix*, a parte Pompeji *Hercules invictus*, auctore Appiano Bellor. civil. lib. II. pag. 475. qui etiam mox pag. 478. addit: *Sta ſecurus*, Pompejanis pro teſſera, quam σύμβολον vocat, eſſe cœpiſſe. Rurſus in caſtris ad Cordubam, Cæſarianorum σύμβολον φωνικὸν, *Venus*, Pompejanorum *Pietas* fuit. Brutus *Libertatem*; Antonius *Larem Deum*; Auguſtus *Apollinem* habuit; quidam integras ſententias & verſus totos, ut alii obſervarunt. Apud Virgilium lib.

lib. VII. Æn. 637. *It bello teſſera ſignum*, Servius *ſymbolum bellicum* interpretatur. Ad muta ſymbola pertinet ſcutum vel punicea tunica, ſuper haſtam ſublata; ſagum purpureum, pro Prætorio propoſitum; item teſſeræ ligneæ, ſeu taleolæ, quarum ſtante republica major in caſtris fuit uſus; Polybius eas πλατεῖα, Polyænus σκυταλίδας vocavit. Singulare earum genus habet Juſtinus lib. III. cap. 5. *Teſſeras, inſculptis ſuis & patrum nominibus, dextro brachio deligarunt, ut ex indicio titulorum tradi ſepulturæ poſſent.* Vicinæ his quoque teſſeræ hoſpitales, domitiales, theatrales, circenſes, convivales, nummariæ, gladiatoriæ, luſoriæ, negotiatoriæ, frumentariæ & oleariæ; è ligno, ære, plumbo, lapide, vitro vel cornu confectæ; de quibus Jac. Philippi Thomaſini commentarius, de teſſeris hoſpitalitatis, adeundus eſt. Teſſeræ frumentariæ meminit Ulpianus in *l.* 52. *D. de Judic.* quacum vulgo confunditur titulus æneus, in quem & annonæ modus & nomen omnium accipientium erat inciſum l. 5. C. *Th. de Annon. civ.* Quilibet enim ſuum præterea habet κάλαμον, ſuum calculum, & tabellam; de qua Petitus lib. I. var. lect. c. 8. Perſii interpretes ad Sat. v. ℣. 73. & Jac. Gothofredus ad l. 2. C. Th. de Annonis civicis. Ceterorum, quæ Principes, in ſpectaculis inter miſſilia ſpargebant, ſymbolo-

bolorum meminit Xiphilinus in Auguſto, & explicat, in Nerone pag 166. ἐσθῆτα ποικίλην ἐδίδȣ διὰ συμβόλων. σφαίρια γὰρ μικρὰ γεγραμμένα ὡς ἕκαςα &c. *Veſtem diverſi generis in ſymbolis dabat: jaciebat enim parvos globos inſcriptos.* Quam Plautus in Pœnulo Actus v. ſc. 2. ℣. 87. *teſſeram hoſpitalem* vocat, Jaſon apud Euripidem Medea ℣. 613. σύμβολον appellavit, ubi abeunti Medeæ promittit:

Ξένοις τε πέμπειν συμβολ᾽, οἳ δράσουσί σ᾽ εὖ.

Hoſpitibus mittere ſymbola, qui ei beneface-rent.

CAPUT IV.

Origo ſymbolorum divina.

ORigo ſymbolorum partim ex religione, partim ex ſuperſtitione, partim ex ruditate, vel, ut mollius cum Macrobio loquar lib. 11. in Somn. Scip. c. 10. ex *mali neſcia, & adhuc aſtutiæ inexperta ſimplicitate*, repetenda nobis eſſe videtur: & dabitur idcirco hæc venia antiquitati, ut præmittendo divina humanis, primordia ſymbolorum auguſtiora reddamus. Deus Opt. Max. ſtatim ab orbe condito, in pactis & fœderibus ſuis, res inſenſibiles ſenſibilibus ejuſmodi ſignis polliceri voluit; quia genus humanum talibus ad-

adminiculis egere ſciebat. In Paradiſo protoplaſtis dedit arborem vitæ, in arrhabonem immortalitatis, συμβολικῶς, ait Philo Judæus, de mundi opificio pag. 35. & arborem ſcientiæ boni & mali; *artium variarum ſymbolum*, ut Grotius vocat, lib. II. de J. B. & P. c. 2. §. 2. n. 2. vel ut Vitringa lib. IV. Obſ. Sacr. c. 12. & 13. *Arborem prudentiæ*, κατὰ σύμβολον, & figurate. Poſt obedientiam ab Adamo exutam, ſtatim a primis Evangelii initiis, ſacrificia inſtituta ſunt, ut his ſymbolis futura reconciliatio, non niſi ſanguine procuranda, pacisque ſponſor, qui & Sacerdos, & Victima, & Altare eſſe debebat, vivis coloribus ob oculos poneretur. Noacho deinde ejusque poſteris cœleſtem arcum poſuit benignus ille Pater, *in ſignum fœderis*, σημεῖον τῆς διαθήκης, poſthac ſe diluvio terram non eſſe perditurum, *Geneſ.* IX. 12 *Ezech.* I. 28. Variis porro figuris, typis & emblematibus erudivit Patriarchas, donec Moſes ſacratiora quævis cultus Judaici obduxit velis ſymbolorum; prorſus ac blandi parentes cum infantibus ſuis balbutire, iiſque prima elementa per imagines inſtillare ſolent. Inter alia autem ſymbolicæ hujus Theologiæ capita, eminet inprimis Circumciſio & Agnus Paſchalis, quæ vulgo quidem ſigilla eſſe ferunt, per quæ fœderis tabulæ ſint firmatæ; rectius teſſeræ explicantur; quibus

in

in fœdus recepti, a profanis diſcernerentur: hinc *ſigna fœderis* dicta, *Geneſ.* XVII. 11. *Exod.* XIII. 9. *Rom.* IV. 11. Per nebulas Tacitus lib. V. Hiſt. c. 5. *Circumcidere genitalia inſtituere, ut diverſitate noſcantur*; ſed excellentiorem & myſticam ſignificationem in præcepto illo reperiri, Jeremias oſtendit *c.* IV. 4 & Philo Circumciſionem σύμβολον ἡδονῶν ἐκτομῆς, *ſymbolum exciſionis voluptatum* appellavit. Huc pertinet ſerpens æneus, mere typicus, auctore *Joh.* III. 14. σύμβολον σωτηρίας, ſalutis ſignum, Salomoni dictus, *Sap.* XVI. 6. pariter ac Apulejus ſerpentem, baculo Æſculapii lubricis amplexibus inhærentem, *ſalutis ſignum* vocavit. Denique totum illud cæremoniarum choragium umbram bonorum futurorum, non ipſam rerum imaginem continuit, & quicquid Prophetæ, divino ſpiritu afflati, protulerunt, myſticum ſenſum habet: ut Paulus in epiſtolis, & maxime Scriptor ad Hebræos liquido oſtenderunt. Sub novo Teſtamento Chriſtus quidem rituum illud chirographum e medio ſuſtulit, affixum cruci, *Col.* II. 14. Baptiſmum tamen & Epulum ſacrum fœderis novi, atque internæ ſanctificationis externa ſymbola inſtituit: quapropter Origenes, in tertio contra Celſum, aquam in baptiſmo, gentilium imitatione, *luſtrationis ſymbolum*: Palladius,

panem, in Sacramento Cœnæ, σύμβολον nutritionis ſpiritualis appellavit, in vita Chryſoſtomi pag. 66. Tertullian. de Præſcript. c. 20. *Communicatio pacis & appellatio fraternitatis & conteſſeratio hoſpitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem ſacramenti una traditio.* Ipſum Symbolum Apoſtolorum, non a ſymbolarum collectione, ut Stephanus, cum Auguſtino, credidit: neque a ſymbolo, ſeu inſtrumento fidei, quæ Cujacii eſt ſententia ad Novell. 44. ſed a ſymbolo, ſeu teſſera fidei, qua Chriſtiani a paganis internoſcerentur, nomen accepit. Patet id non modo ex collatione Symbolorum vocalium, quibus gentiles in ſacris uſos eſſe, capite præcedente diximus; ſed Tertullianus quoque eodem libro de Præſcript cap. 36. Romanæ Eccleſiæ, per ſymbolum, cum Africanis Eccleſiis *conteſſerantis* meminit; & Rufinus Symbolum, ſcribit, eſſe ſignum & indicium, per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum vere, ſecundum Apoſtolicas regulas, prædicaret. Πίςιν vocat Synodus Laod. quemadmodum alias ſæpe ſigna & ὑπομνήματα rerum, ipſis rerum deſignatarum nominibus exprimuntur. *Confœderantur omnia Hinc inde membra in ſymbolum*, Prudentius cecinit 11. Periſteph. vſ. 437. Et hæc quidem de ſymbolis rerum divinarum.

CA-

CAPUT V.

Origo Symbolorum maxime ab Ægyptiis.

QUinam hominum, in negotiis civilibus, primum ſymbolicam ſcientiam in pretio habuerint, non ſatis liquet, ideoque in rebus tam antiquis, quæ ſimilia veri ſunt, pro veris accipi debent. Diodorus Siculus lib. III. Biblioth. c. 4. Æthiopibus tribuit literarum inventum: Curtius Tyriis, lib. IV. c. 4. Ægyptiis Tacitus, lib. XI. Annal. c. 14. Abrahamo Suidas in Ἀβραάμ. Multi vero recentiorum, cum Bocharto, Huetio, Dickinſonio, Gale, Claſenio, aliisque viris laudatiſſimis, contendunt, gentes moratiores a Judæis inprimis religionem, leges, literas; ritusque ſacros & profanos accepiſſe. Forſan diſſidentes in concordiam revocari poterunt, ſi dicamus, omnium fere artium & ſymbolorum initia hæſiſſe in Ægypto, inde a primorum Patriarcharum ætate. Hinc *mater artium* Macrobio dicitur I. Sat. 15. Lucianus initio Deæ Syriæ, Ægyptios, ait, primos hominum, Deorum notitiam habuiſſe. Gellius l. XI. c. 18. eos in *artibus reperiendis ſolertes, & in cognitione rerum indaganda ſa-*

gaces laudat, & Clemens denique Alexandrinus lib. v. Stromat. pag 555. triplicem eorum ſcribendi rationem explicat, ἐπιστολογραφικὴν, ἱερατικὴν & ἱερογλυφικὴν; quarum ultimam in κυριολογικὴν & συμβολικὴν diviſam, ut & literas ſacras ſoli ſacerdotes callebant. Hoc amplius Moſem non modo omni Ægyptiorum ſapientia eruditum fuiſſe, ſcimus, ex Stephani Protomartyris teſtimonio, *Actor.* VII. 22. ſed & τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν a magiſtris Ægyptiis accepiſſe, ut Philo Judæus, Juſtinus Martyr, ac Clemens Alexandrinus expreſſe tradiderunt. Strabo ipſum albo Ægyptiorum ſacerdotum inſerit lib. XVI. pag. 760. hoſque lib. ſeq. XVII. pag. 806. μυστικοὺς καὶ δυσμεταδότους fuiſſe ſcribit. Ipſe Moſes varia ejus eruditionis ſpecimina, a ſcoriis idololatriæ purgata, in libris ſuis, juſſu divino, multis reliquiſſe videtur: facilius enim, ajunt, conſenſuri erant Iſraëlitæ, craſſioris ingenii homines, & longa ſervitute ad ſtuporem redacti, in eorum obſervantiam, quibus in Ægypto aſſuefacti erant. Inter alia maxime urgent *Pectorale judicii*, quod Moſes fecit Aharoni, inque eo Urim & Thummim, quod Græci, ad Exodi XXVIII. vſ. 30. τὴν Ἀλήθειαν vertunt: nam ſimiliter apud Ægyptios ſacerdotum princeps habuit ſimulachrum, ex ſapphiro aliisque lapillis pretioſiſſimis confe-

ctum

ctum, circa collum, quoties lites diſceptabat, idque Ἀλήθεια vocabatur, auctore Diodoro Siculo lib. I. c. 75. & Æliano lib. XIV. Hiſtor. c. 34. Sed quia pleriſque noſtratium Theologorum aliud ſedet, atque Coccejus epiſt. 214 rationem ejus typicam ad Chriſtum refert, nos merito ab hac quæſtione abſtinemus, memores dicti Maimonidis de Fund. leg. c. 4. non convenire, ut quis ingrediatur hunc Paradiſum, niſi qui prius repleverit ventrem ſuum pane & carne. *Novos* ſane *ritus*, *contrarioſque ceteris mortalibus Moſem condidiſſe*, auctor eſt Tacitus lib. v. Hiſt. 4. & Strabo *d. l.* idque Chriſtiani, in ſacroſancto Dei verbo, cum miſeris illis non communicato, myſterium ſalutis ubivis palpantes, certius cognovimus, nullique dubitamus, ob maniſeſtam præſignificatorum fidem, ipſum divino ſpiritu afflatum fuiſſe. Clemens quidem Alexandrinus lib. v. Stromat. Hebræis ſimilia pronunciavit Ægyptiorum ænigmata, quod ad occultationem attinet; in eo tamen manifeſto abit Moſis Theologia, a portentoſa, ſtulta, & ridicula Ægyptiaca, quod ſummum illud, & æternum, neque mutabile, neque interiturum Numen, beſtiarum & pecorum imagine effingi vetuit: quodque illorum ſimulacra myſtica, & ἱερατικὰ γράμματα, numina contortiplicata & im-

purorum dæmonum ſimulacra, cum faſciis umbrarum vere divinis permutavit. Inter notas Ægyptiorum vulgares, quas *ſigna ſagacis Ægypti* Claudianus vocat, lib. 1. in Rufin. vſ. 148. oculus Dei, vultur naturæ, ſerpens mundi ſymbolum erat: talpa cœcum, laqueus amorem, mula ſterilem feminam cuivis, ſine interprete, indicabat. Regis ſimulacrum erat oculus, addito ſceptro, quo vigilantia & recta rerum adminiſtratio ſignificabatur. Imagines manibus carentes judices repræſentabant; quos ab omni corruptela & ſordibus ſejunctos eſſe oportebat: una vero earum, judicii præſidem adumbrans, oculis carebat; quo hic vacuus affectu, rem & non perſonas reſpicere moneretur. Atque hæc quidem ſatis recte ſeſe habent, & ingenium non vulgare, ſed Philoſophicum ſpirant. Quis vero credat, ſanctiſſimum Numen, Serapidis, Oſiridis, Iſidis & Anubis adyta, in ſuum contemtum & injuriam conficta, Moſem imitari voluiſſe? Multa futilia de his ceteriſque Ægyptiorum notis, popularibus ac ſacris, narrant Herodotus, Diodorus, & maxime Plutarchus de Oſiride & Iſide. E priſcis Chæremon, Hermateles, Jamblichus, & omnium antiquiſſimus Horus Apollo, ea expoſuerunt. Inter recentiores eminet Joannes Pierius Valerianus, ſive, qui ſub nomine ejus latet,

Pe-

Petrus Valerius Bellunenſis, teſtatus, ſe in elucubrandis, ornandis & expoliendis ſuis octo & quinquaginta Hieroglyphicorum libris, annos fere viginti impendiſſe. Idem ſaxum volverunt Athanaſius Kircherus, Laurentius Pignorius, & Nicolaus Cauſſinus: ſed qui omnes tot conjecturis, incertis juxta ac falſis, ſæpenumero indulgent, ut Davi, non Oedipi eſſe videantur. Recte Apulejus hieroglyphica illa *ignorabiles litteras*, Hieronymus *tormenta* appellavit; mihique oleum & operam perdidiſſe videntur, qui myſteriis tabulæ Iſiacæ (quæ Taurini mutila reperitur) interpretandis inſudarunt: cum nonnulli, ſtante adhuc Ægyptiorum ſuperſtitione, ænigmata illa & monſtra nec legi nec explicari poſſe, faſſi fuerint; pleraque etiam a ſacerdotum ingeniis pependerint; tum ut minus intellecta rudioribus injicerent metum, tum ut involucris obtecta, fluminum inſtar, quo magis obſcura & cœnoſa eſſent, eo magis profunda haberentur. *Cupidine ingenii humani, libentius obſcura credi*, apte Tacitus dixit lib. 1. Hiſt. 22.

CAPUT VI.

A Judæis & Ægyptiis ſymbola manaſſe ad ceteras gentes.

FOntibus his divinis & humanis repertis, dictu nobis facillimum erit, unde tot rivuli ſymbolorum, ad omnes nationes manarint, nec vocibus tantum, ſed & rebus fere iisdem, loqui cœperit cultior orbis terrarum. Quemadmodum enim Romani figuram literarum ſuarum acceperunt a Palasgis, hi a Cadmo Ægyptio & Phœnicibus Cadmeis, Phœnicum vero lingua inter Ægyptiam & Hebræam media fuit, & velut ramus ex eadem ſtirpe: ita vix alia ratio afferri poteſt, cur tanto conſenſu, gentes diſſitæ, in eadem ſæpe ſymbola conſpirarint, quæ ex mero inſtituto ſunt, nullamque aut exiguam cum re adumbrata analogiam habent, niſi quod omnes ex Oriente, communi primorum mortalium ſede, ortum ducunt, quodque per manus tradita avide arripuerunt homines, ſuperſtitionum amantiſſimi, divini aliquid ritibus promiſcue ineſſe cenſentes: ſive illi ex rituali Republica Hebræorum, ſive ex Ægyptio-

rum

rum illuſtri ſuperſtitionis ſchola, ad ſe eſſent delati. Utilitas hujus doctrinæ, ſobrie excultæ, inſignis eſt: ejus enim ignorantia, vir indefeſſæ lectionis, & diligentiſſimus cauſarum ruſpator, Plinius, ad tacitum quendam gentium conſenſum ſæpe confugit lib. VII. Hiſt. nat c. 16. 57. 59. 60. & alibi lib. XI. c. 45. *Hominis genibus*, inquit, *quædam religio ineſt, obſervatione gentium.* Quum tamen ea obſervatio non tam inſtinctui naturæ, aut evidenti rationis collectioni, quam perpetuæ traditioni, accepta ferri debeat, ſicut Juſtinus haſtam, inter ſymbola deorum, *ab origine rerum* celebravit, lib. 43. c. 3. Præter alia id quoque ex honore diei ſeptimi, & mactatione victimarum in ſacris apparet: ad quorum initia inveſtiganda, non opus eſt ut Delphos mittamus, quum omnis anterior diſciplina, poſteriori normam dederit. Tertullianus Apolog. cap. 16. *Judaicum morem*, vocat, *quem gentes ignorent.* Dio Caſſius vero, inſcius hiſtoriæ orbis conditi, morem per ſeptenos dies tempora computandi, ab Ægyptiis ad omne genus humanum manaſſe, putavit, lib. 33. Forte quia uſus iſte antiquiſſimus, libris Ægyptiorum pontificalibus inſertus erat, ex quibus ceremoniæ Græcorum & Romanorum vetuſtiores, magnam partem fluxere. Ita malim, quam cum aliis Ægyptios acci-

pere pro Judæis: licet enim Strabo, Juſtinus & Celſus apud Originem, hos genere Ægyptios fuiſſe putarint, Connanus quoque lib. 18. Comment. cap. 5. in *l.* 8. *C. de Inceſtis nuptiis* per *quoſdam Ægyptiorum* intellexerit Judæos: nemo tamen Hiſtoricorum aut Legiſlatorum, poſt Ægyptum & Judæam in formam provinciæ redactas, atque diſcretas, ignorabat, alios eſſe Judæos, alios Ægyptios; Connano etiam Joſ. Caſtalio c. 12. Var. lect. ſatisfecit. Ampliſſimus ſeſe hic nunc aperiret campus, in collationem Symbolorum Hebræorum, cum iis, quæ apud varias gentes obſervata ſunt, excurrendi, niſi titulus hujus ſcripti id vetaret, pleraque etiam nobis non accurate deſcribenda, ſed recordanda tantum ſumſiſſemus. Famoſus de libris Moſaicis a gentilibus inſpectis, eſt locus Auctoris Maccabaicorum lib. 1. cap. 3. vſ. 48. licet aliter Grotius, aliter Petitus lib. 11. Var. lect. c. 13. eum exponant. Clemens Alexandrinus lib. 11. Strom. aperte Philoſophos *fures Hebraicæ veritatis* appellat, & Tertullianus in Apolog. cap. 47. Philoſophos, Poëtas & Sophiſtas omnes *de Prophetarum fonte potaſſe*, ait. Ex Moſis hiſtoria, Exod. VII. vſ. 18. vulgo fluxiſſe ferunt, quod Græcorum Legati caduceum, Romanorum ſagmina, Francorum virgas ſacratas manibus geſtarunt, ne

quid

quid hoſtile ſibi immineret Marcianus in *l.* 8. §. 1. *D. de Rer. divis Sagmina*, inquit, *ſunt quædam herbæ*, *quas legati populi Romani ferre ſolent*, *ne quis eos violaret*, *ſicuti Legati Græcorum ferunt ea*, *quæ vocantur cerycia.* Κηρύκιον vero baculus erat laureus vel oleaceus, cui, pro pacis emblemate, gemini angues circumplicati erant, Plin. lib. XXIX. cap. 3. Morem fœdera ſanguine boum percutiendi, & per medias pecudis diſſectæ partes tranſeundi, non apud Græcos tantum & Romanos, ſed Chaldæos etiam, Bœotos, Perſas & Macedonas receptum, Thomas Gatakerus Adverſ. Miſc. c. 42. derivat ex pagina ſacra Geneſ. XV. 10. Exod. XXIV. vſ. 8. Jerem. XXXIV. vſ. 18. nam & phraſi Hebræorum fœdus dividere idem eſt, quod Latinis, icere, ferire. Manuum impoſitio cæremonia fuit Judaica, non lege ulla divina, ſed moribus eum in finem recepta, ut Dei efficacia tam vere eſſet ſuper illum, cui benedicebant, ſicut manus, efficaciæ Symbolum, ei imponebatur Geneſ. XLVIII. vſ. 14. Ex hoc autem more, à Chriſto, Apoſtolis & Presbyteris uſurpato, deinde Sacramenta, quæ dicuntur, Confirmationis, Ordinationis, Pœnitentiæ, Extremæ unctionis, immo & Matrimonii emanarunt, ut pulchre Grotius Epiſt. 329. Ritus dedicandi ædes ſacras, per ſolennia ſocumque

cumque accenſum, & concepta augurum verba, ab Hebræorum exemplis, ad Græcos & Romanos perveniſſe, multis docet Seldenus de Synedriis lib. III. c. 14. Quod olei deinceps in ſupellectile ſacra, victimis & hominibus, Deo ſacrandis, tantus ubivis gentium fuit uſus, unde niſi a matre Ebræa, aut vetuſtiſſima antiquitate? quam Jacobus ſecutus eſt, partes ſacerdotis agens, Geneſ. XXXVIII. vſ. 18. XXXV. vſ. 14 & gentiles in *lapidibus unguine delibutis*, teſte Apulejo lib. I. Florid. etiam primi Chriſtiani, in Martyrum thecis, apud Theodoretum quæſt. 84. Plane a Patriarchis Judæorum multa didiciſſe Ægyptios, & Phœnicas, vel ex unico circumciſionis ritu conſtat. Magiſtri enim Hebræi, & ex iis Hieronymus ad Jerem. IX. vſ. 25. eum Joſephi exemplo introductum, ajunt. Ab Ægyptiis rurſus hunc morem traxerunt aliæ gentes, ſicut ex Abrahami & Cethuræ liberis Æthiopes; nec unde Iſmaëlitæ & Idumæi eum didicerint, eſt dubitandum: quicquid etiam Marshamus & Spencerus pro Ægyptiis auctoribus diſputarint. Vide laudatos ab indefeſſo illo librorum helluone & Viro Clariſſimo Joh. Alberto Fabritio Bibliogr. antiq. cap. XI. §. 24. Mores & leges Ægyptiorum ſingulari ſtudio, Marshamus in Canone Chronico & Boeclerus tom. II. diſſert. 23. collegerunt;

gerunt; quas ſi quis cum legibus & ſymbolis aliarum gentium conferre velit, eum operæ pretium facturum, opinor. Ritus utique Græcorum ab Ægyptiis eſſe deſumtos, Herodotus, velut elata manu, teſtatur, lib. II. c. 49. 50. 51. 58. idemque ratione & exemplis conſtat. Ut enim tres illas expeditiones famoſas præteream, ex Ægypto in Græciam ſuſceptas, quas Marshamus, in Canone ſuo Chronico illuſtravit: ipſi Græcorum Philoſophi, plurium morum & rituum auctores, profecti ſunt in Ægyptum, & ab ejus Sacerdotibus ſapientiam ſymbolicam hauſerunt; id quod de Solone, Pythagora, & Platone Diogenes Laertius lib. I. n. 50. lib. III. n. 6. & lib. VIII. n. 3. de Thalete, Eudoxo & Lycurgo, Plutarchus in Iſide & Oſiride teſtantur. Ipſe Pythagoras, apud Lucianum in Gallo, profitetur, ſe rituales Ægyptiorum libros didiciſſe. Romæ ſimiliter Aſclepiadis Mendeſii, Ægyptii, libri Θεολογȣμένων, in quibus ritus cauſasque religionis explicarat, legebantur, Sueton. Aug. c. 94. Hinc etiam Plinius *curioſam Apionis interpretationem, ad excuſandos gentis ſuæ ritus*, laudat lib. XXX. c. II. & Gellius, in exponenda quadam Græcorum & Romanorum conſuetudine, ad ejuſdem Apionis libros Ægyptiacos provocat lib. X. Noct. Att. c. 10. Quinimo multas Ægyptiacæ ſuper-

ſuperſtitionis notas, cum Iſidis cultu, a Romanis adoptatas fuiſſe, Fabrettus docuit pag. 423. 489. & 533. & nuper Cl. Benedictinus, Montfauconius ſymbolicam ejuſmodi imaginis ſignificationem inſeruit, Antiq. t. 2. p. 2. pag. 270. Sed exemplo res magis erit aperta. Ægyptii, ſi nuptias ſignificare vellent, duas pinxerunt cornices, ob avium concordiam: inde apud vetuſtiſſimos Græcos in conſuetudinem ivit, ut cornicum numen invocarent, qui liberorum quærendorum cauſa conveniſſent, taciteque fecundum thalamum exorarent a Junone, cujus in tutela ea ales fuit: quod Horus Apollo, Ælianus in hiſt. animal. aliique ab Hadriano Junio lib. 1. Animadverſ. cap. 1. allati teſtantur. Pierius & Politianus, in duobus nummis Fauſtinæ Auguſtæ, cornicis quoque imagunculam, velut conjunctionis amicæ & appetitus caſti naturalis typum obſervarunt; quamvis alii turturem explicent, alii columbam: nec avem inauſpicatæ garrulitatis felix augurium Romanis præbere potuiſſe, Broukhuſius ad Tibullum contendat, lib. 11. Eleg. 2. De legibus hac domo, ad utrumque populum, Græcum & Romanum, profectis, ſignatus eſt locus Ammiani Marcellini lib. XXII. c. 16. *Solon, ſententiis adjutus Ægypti ſacerdotum, latis juſto moderamine legibus, Romano quoque juri maximum*

ximum addidit firmamentum: ex his fontibus, per ſublimia gradiens, ſermonum amplitudine Jovis æmulus, Plato, viſa Ægypto, militavit ſapientia glorioſa.

CAPUT VII.

Symbola aliarum gentium diverſa.

VErumenimvero licet hoc pacto primas merito Reip. Moſaicæ tribuamus, cujus *inſtituta juſta vereque religioſa* Strabo lib. XVI. *Juſtitiam religione permiſtam*, Juſtinus celebravit lib. XXXVI. c. 2. Nolim tamen promiſcue origines rituum, & ſymbolorum, quorum vel leviſſima in ſacris litteris extat memoria, unice ab Hebræis vel Ægyptiis repeti, quum natura alma mater, nunc huic, nunc illi populo benigna fuerit. Aſſyrios, omnium gentium antiquiſſimos, multum ſymbolis indulſiſſe, ex eo liquet, quod Herodotus lib. 1. cap. 195. ſcribit, ſingulos Babyloniorum, præter annulum ſignatorium, geſtaſſe baculum affabre factum, in cujus apice aut malum, aut roſa, aut lilium, aut aquila, aut aliud ſymbolum, ſine quo ſceptrum geſtare nefas fuerit: atque hinc forſan regiorum ſceptrorum origo & ornatus repeti debent. Apud Æthiopes Regis ſceptrum, ſub forma aratri,

aratri, aliaque ejus ſymbola, deſcribit Diodorus lib. III. Bibl. c. 3. De Arabibus, jam olim in omni Philoſophiæ parte præclaris, tradit Herodotus lib. III. c. 8. quod in fœdebus ineundis, vir medius, ſtans inter utroſque, acuto lapide ſecuerit digitos eorum, & flocco, ex utriuſque veſte, ſanguini immiſſo, unxerit ſeptem lapides, in medio poſitos. Scythæ eorum ſanguinem, qui fœdus feriunt, vino miſcebant, atque ſagittas, acinacem, ſecurim & jaculum in calice tingebant, auctore eodem Herodoto lib. IV. c. 70. Apud Naſamones, grandem Africæ nationem, fidei dandæ conſuetudo hæc erat, ut de manu alterius uterque invicem biberet, ſique humor deeſſet, ſumtum e terra cinerem lingerent, Herodotus lib IV. c. 172. Aliter rurſus Macrones haſtam dando & accipiendo fidem firmabant, Deos utrique teſtes implorantes, ut Xenophon refert, lib. IV. Expedit. Cyri. Tot denique nova Pythagoræi in in Italia, Druides apud Gallos & Indorum Brachmanes reperiſſe feruntur, ut concluſio facienda ſit, ſymbola, pariter ac linguæ diverſæ, alibi atque alibi enata eſſe; ſive gentium mixtione, ſive caſu, an genio, vel prudentia miniſtrante: quæ paullatim deinde in jus gentium domeſticum, aliquando etiam in morem univerſalem abiere. Philoſtratus de vita

vita Apollonii l. II. c. 24 ſimulacrum ſolis, apud Indos, ſymbolico modo compoſitum fuiſſe, refert, eoque omnes barbaros in ſacris ſuis uſos: Ξυμβολικὸν τρόπον, ῷ βάρβαροι πάντες ἐς τὰ ἱερὰ χρῶνται. Idem teſtatur Clemens Alexandrinus, rituum antiquorum ſcientiſſimus ſcriptor, lib. v. Stromat. *Omnes, ut verbo dicam, qui de rebus divinis tractavere, tam barbari, quam Græci, veritatem ænigmatibus, ſigniſque ac ſymbolis, & allegoriis rurſus, & metaphoris, & quibuſdam talibus modis tropiſque tradiderunt.* Jam vero quis fidem habeat Juſtino Martyri, in Apologia ſecunda, quod Diabolus, Dei ſimius, docuerit Cretes, Græcos & Romanos, ut ſacra facturi, calceos exuerent, ad imitationem ejus, quod Moſi acciderat ad rubum? Exod. III. vſ. 5. Qui enim deos precaturi, manus pedesque abluebant, *immundiſſimam pedum tutelam* ut Tertullianus vocat de Pallio c. 5. deponere debuerunt; & nonne Chriſticolæ quidam, in Crucis adoratione & Paraſceve, nudis hodie pedibus procedunt? Plura de hoc reverentiæ & ταπεινοφρονήσεως indicio, habet Caſaubonus in animadv. ad Sueton. & Gevartius lib. II. Elect. 12. Fruſtra alii geſtum jurantium, quo manus integra vel digiti dextræ priores, tanquam fidei ſymbola, in cœlum elevantur, repetunt ex Geneſ. XIV. vſ. 22. quum Herodo-

 tus

tus & Ariſtoteles mortalium conſenſum laudent, ſummam mundi regionem Diis tribuentium, eamque ob cauſam manus ſurſum tolli, inter vota concipienda: quemadmodum Æneas apud Virgilium XII. Æneid. 174. jurat *tenditque ad ſidera dextram.* & Herculius Diocletiano, in elegantiſſimo nummo, apud Octav. Stradam pag. 164. ante aram accenſam, præſente velato ſacerdote, jurat, digitis dextræ prioribus ſublatis, cum inſcriptione: CONCORDIA. CAES. AUGG. N. N. Ipſa porro rerum natura infinita ejuſmodi ſymbola docuit gentes, ſine magiſtro: neque enim ſolus Salomo pro ingenii & ſolertiæ ſymbolo habuit formicam: ſed etiam Heſiodus, Ælianus, Horatius & Juvenalis. Bos fertilitatis typus fuit, non tantum apud Ægyptios, ſed & Græcos atque Romanos; quia per eum rus colentes cibum accipiebant. Neque mirari debemus, bovem alias miſeriæ ſymbolum eſſe, ob perpetuos ejus animalis labores, quia ab eadem re ſymbola ſæpe diverſa, & ſecundum varia prædicata κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο comparatio inſtituta fuit. Serpens alibi Diaboli Symbolum eſt in ſacris, alibi prudentiam Chriſtianam adumbrat: leonis feritas Satanæ, fortitudo Chriſti emblema eſt. Apud Corinthios comam alere viris turpe erat; alibi in laude id poni, quis ignorat? Barbam apprehendere apud

Lati-

Latinos opprobrii habuit ſignificationem, at Galli veteres, pariter ac Indorum quidam, noſtris temporibus, honoris cauſa barbam permulcebant, Liv. l. v. c. 41. Europæis dextræ honos major eſt; Turcæ ſiniſtrum latus dignius habent: quia gladius id honeſtat, vel quod ſiniſtra inſidiis magis obnoxia, quale Cyri judicium fuit, apud Xenophontem lib. VIII. παιδ. Illud vero memorabile eſt, quod cornu, eximium olim honoris inſigne, quo Dii, Heroës, Altaria exornabantur, quodque Phœnicum Theologis Regiæ Majeſtatis index erat, apud recentiores in vulgarem contumeliæ notam evaſit; dum ei, qui uxorem adulteram habet, duo cornua, vel digiti, ad corniculorum inſtar erecti, affingebantur, eodem, quo id hodie fit, ſenſu: ut ex Apologis recutitorum magiſtrorum Druſius tradit, ad Exod. XXXIV. 29. & jucundus ille ſomniorum interpres, Artemidorus lib. 1. Oneirocrit. c. 12. pariter ac Nicetas, in vita Comneni lib. 2. pag. 160. firmarunt. Salmaſius ad Tertullianum de pallio, ex Lucillii epigrammate Græco; Menagius in Diction. Etymol. Gall. voce *Cornard*, ex Luciano, veſtigia hujus ſignificationis probroſæ attulerunt. Cauſam ejus dat Scaliger in prioribus Scalig. quod ſicut Veteres iis, quos irridere volebant, cornua dormientibus capiti impoſuerint, vel

caudam vulpis, aut quid ſimile; ſic etiam haſce cucurbitas inertes, quod prolem alienam pro ſua educant; aut domi ſaltem uxorem impudicam non coërcent, κεϱασφόϱϐς vulgo appellatas fuiſſe. Denique iiſdem barbaris, qui nono aut decimo ſeculo, omni elegantia deſtituti, multa ad vitam magis opportuna, ut molas, aqua & ventis mobiles, perſpicilia, ſtapedes, pyxidem nauticam, typographiam aliaque id genus invenerunt, quæ illi florentiſſimæ ætatis viri, & in re pictoria, ſculptoria & ſtatuaria excellentiſſimi ignorarunt: iiſdem, inquam, multa ſine dubio ſymbola, ex aurea ſimplicitate profecta, natales ſuos debent, quorum complura exempla vel ſoli Germani infra nobis ſuppeditabunt.

CAPUT VIII.

Symbola Phœnicum.

QUatuor ſuperſunt populi, quorum ſymbola peculiarem ſibi tractationem poſtulare videntur, Phœnices ſcilicet, Græci, Romani & Germani: qui & in vaſto imperio ſibi hoc ordine ſucceſſere, & Symbola, quaſi de manu in manum, ſibi tradiderunt. Neque enim veriſimile eſt, hos, ad

belli

belli pacisque munia eximios, omnia ab Hebræis mutuatos eſſe; id quod vel odium illorum hoſtile, & genius populi diverſus, & religionis diſparitas prohibebat. De his, qui fuga ſalvi evaſerunt, ex ſeptem populis, divina ſententia damnatis, nemo forſan dubitabit; nam Iſraelitæ, decreti hujus executores, parcere iis vetantur, inire fœdus cum eis non licebat, nec illorum miſereri, aut bonum quærere, omnibus diebus ſuis, Deut. VII. vſ. 1. & XX. vſ. 16. 17. Hinc inimiciſſimo animo erga Judæos fuiſſe Ægyptios, Phœnices Tyrioſque, Joſephus teſtatur, contra Apion. lib. I. pag. 1039. Hoc amplius peculiaris victus ratio, & abſtinentia a tot vulgaribus cibis, vix cum gentibus ceteris familiarem Judæis conſuetudinem permittebat; unde his μισανθρωπία tribuitur paſſim, & *adverſus omnes alios hoſtile odium*, auctore Tacito lib. V. Hiſt. c. 5. Ipſos Cananæos, antiquiſſimis temporibus, certe priusquam terræ eorum judicio divino occupatæ fuerunt, culturam doctrinæ non vulgarem habuiſſe, indicat nomen urbis *Kiriat-Sepher*, apud Joſuam cap. XV. vſ. 15. quod urbem librariam, aut bibliothecarum notat. Minime etiam Tyriorum & Sidoniorum mercatores ſymbolis religionis & commerciorum deſtituti fuiſſe videntur; quia mercaturas Phœnices invenerunt, teſte Plinio lib. VII.

 Hiſt.

Hiſt. nat. cap. 57. & Lucianus in Toxari ſcribit, nullos fuiſſe θειοτέρους ἐμπόρους, *diviniores mercatores*. Sed non opus eſt conjecturis, ubi tot teſtimonia præſto ſunt, in rebus eorum divinis & humanis; quanquam non negemus, in quibuſdam *Phœnicas gloriam adeptos, tanquam reppererint, quæ acceperant*, ut Tacitus ait lib. XI. Annal. c. 14. Sic Euſebius lib. I. Præparat. Evang. c. ult. ex antiquis Phœnicum Theologis refert, Aſtarten, cœlorum reginam, tauri caput, tanquam majeſtatis inſigne, βασιλείας παράσημον, capiti ſuo impoſuiſſe, pariter ac Iſis Ægyptiorum bubulis cornibus fingebatur. Suidas in Ἑρμῆν, & Codinus de Orig. Conſtantinop. pag. 15. tradunt, Phœnices deos ſuos finxiſſe ferentes ſacculos, quod aurum ſit imperii ſymbolum, & Mercurius, lucri deus, ab eis inprimis coleretur. Nummi Pœnorum præterea ſymbolorum pleni ſunt, quos viri illuſtres Noriſius, Spanhemius, Vaillantius, Aldrete & Rhenferdius, ex Regum & Principum theſauris, publicarunt. Carthaginis ſymbolum, ab effoſſo equi capite deſumtum, Virgilius celebravit lib. I. Æneid. 441. hanc urbem autem Phœnices, Cananitide à Joſua pulſi, condidere; unde apud eundem Poëtam Carthaginis arces *Tyriæ* dicuntur, & ipſa *Urbs Tyria*, quam Tyrii tenuere coloni. Haſta illis belli

ſym-

ſymbolum: nam *Carthaginienſes, cum bellum vellent, Romam haſtam miſerunt*, ait Feſtus in *Haſta*. Annibalem quoque non verbis modo, ſed & rebus, militem adhortatum eſſe, Livius nos docet lib. XXI. c. 42. Idem *ad aram* patri juraverat ultionem, in templo Didonis, quod Carthagine erat, auctore Floro lib. II. cap. 6. & Silio lib. I. vſ. 81. & lib. III. vſ. 82.

Tangat Eliſſeas palmis puerilibus aras.

Plura talia ſciremus, ſi Phœnicum res geſtæ ſupereſſent, quas Sanchoniathon, ex urbium commentariis & templorum monumentis, vulgo deſcripſiſſe fertur: quod enim Judaica magis novimus, à literis eſt, una fideli cuſtodia memoriæ rerum; ut Tertullianus in Apolog. cap. 19. *effigies literarum indices cuſtodeſque rerum*. Moſes vero, antiquiſſimus ſcriptor, Abrahami tantum & poſterorum hiſtoriam contexuit, miſſis ceteris gentibus, quamvis ſine dubio multa memorabilia apud eas eveniſſent. Illud autem inter omnes conſtat, Phœnices, mercatores omnium tum primos & antiquiſſimos fuiſſe, tum vaferrimos & ad quæſtum perſpicaciſſimos; unde δολωμάτων πολυπαίπολοι apud Homerum, & *Tyrii bilingues* apud Virgilium dicuntur. *Punica quoque fides;* Φοινικὸν ψεῦδος, & Φοινίκων συνθῆκαι, pro improbis & fraudulentis, in proverbium ivere. Mature ergo ſymbolis, & doli mali repagulis

opus fuit, quo fides, omnis commercii humani fundamentum, inter contrahentes ſtabiliretur: nec forſan errabimus, ſi arrhabones & fidei pignora in contractibus, Pœnis inventoribus tribuamus. Arrha enim, non à Græco ἀῤῥαγὲς, aut ἀῤῥαϐὼν, ut plerique voluere, ſed ab Hebræo vocabulo, quod pignus ſignificat, deſcendit; eandem vero linguam fuiſſe Chanahanis & Hebræorum ſermonem, ex Eſa. XIX. vſ. 18. conſtat, & Samuel Bochartus lib. II. c. I. multis demonſtravit. Pariter igitur ac vocis, ſic & rei origo à mercatoribus famigeratiſſimis repetenda videtur. Argumentum hujus rei habeo, quod Juda Thamari annulum ſuum in arrhabonem dedit, quam ſcortum ejus gentis eſſe putabat Geneſ. XXXVIII. vſ. 18. quodque Sextus Pompejus *arrilatores* olim dictos, refert, mercatores, qui emturientes, data arrha, ſibi credi poſtulabant, cæca die cetera ſoluturi. Huc etiam pertinet, quod in Plauti Pœnulo Act. V. Sc. I. vſ. 25. Hanno Pœnus, hoſpitium Calydone quærens, *Deum hoſpitalem ac teſſeram mecum fero*, ajebat, per figuram ἓν διὰ δυοῖν; quia teſſeræ ejus, ex cera aliave materia, pro amicitiæ & hoſpitii ſymbolo, Dei alicujus imago impreſſa erat, quem Petitus lib. II. Miſc. cap I. Saturnum, Bochartus lib. II. Geogr. c. 6. θεὸν κατοικίδιον; Pareus vero Jovem

vem Xenium interpretatur. Ad veteratoriam Phœnicum calliditatem & neceſſitatem arrharum etiam referendum eſt, quod credendi conſuetudo adeo apud eos rara fuit, ut quod Græca fide mercari poſtea dicebatur, id antea, quum Græci vel barbari eſſent, vel inter barbaros parum exculti, Phœnicum fide fuerit, in toto Oriente, ut ex Sophoclis verſibus conſtat, quos Grammatici citant:

——— εὐδὺ φοίνιξ γίνομαι,
Τῇ μὲν δίδωμι χειρὶ, τῇ δὲ λαμβάνω.

CAPUT IX.

Symbola Græcorum.

PRoximum locum tenebunt Græci, quos certum eſt multum debere Ægypto: at peritiam navigandi, pondera, nummos, menſuras, & leges à Phœnicibus acceperunt, qui Græciæ civitates, ad mare ſitas, circumvecti, eas ad vitam cultiorem perduxiſſe, feruntur. Hinc Græcorum Annales inde demum incipiunt, unde Phœnicum hiſtoria definit, & fatetur Thucydides, initio operis ſui, ante bellum Peloponneſiacum, ſe, propter longinquitatem temporis, liquido nihil reperire potuiſſe. Cadmus inprimis Græcis reliquit literarum monimentum, ære perennius, quas

Herodotus, Philoſtratus & ceteri pene omnes ei acceptas ferunt; idque ex figura & ordine literarum, Bochartus evicit lib. 1. Geograph. cap. 20. Pherecydem etiam Syrium, compilatis Phœnicum ſcriniis, primum Philoſophiam docuiſſe apud Græcos, Heſychius Mileſius, in libro, de iis, qui eruditionis fama claruere, teſtatur. Non me fugit, Joſephum alioſque Judæos, ut Græcorum ſuperbiam retunderent, gloriari ſolitos, Platonem rivulos ex fontibus Hebræorum in hortos ſuos derivaſſe. Idem magno conſenſu tradiderunt Juſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Euſebius, aliique ſcriptores Chriſtiani: nec abludit Numenii Pythagorei vox: Τί γάρ ἐςι Πλάτων ἢν Μωσῆς Ἀττικίζων; *Quid enim eſt Plato, niſi Moſes Atticiſſans?* Dubitat autem ea de re Cl. Clericus Epiſt. crit. 7. tum ob alias rationes, tum maxime, quia Lactantius lib. IV. Inſt. div. c. 2. admiratus eſt, Platonem ad Judæos non adiiſſe, penes quos ſapientia domicilium fixiſſe videbatur. Me vero, quo minus cum illis facere poſſim, movet, quod res Judæorum, Platonis ætate, nullo in pretio fuerunt, ipſis Babylonio primum, hinc Perſæ ſervientibus: Tacitus lib. V. Hiſt. cap. 8. *Dum Aſſyrios penes Medoſque; & Perſas Oriens fuit, Judai deſpectiſſima pars ſervientium, poſtquam Macedones præpotuere,*

Rex

Rex Antiochus demere ſuperſtitionem, & mores Græcorum dare adnixus, quo minus gentem deterrimam in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus eſt. & hanc ob cauſam Ariſtoteles, niſi ſero admodum, & ſub vitæ extremum, de rebus Iſraelitarum aliquid accepit. Quod ſi apud Lacedæmonios veſtigia rituum & legum Judaicarum reperirentur, id minus foret admirandum: ſi Arius, eorum Rex, in literis ad Oniam, ſummum tunc Pontificem, vere ſcripſit, Spartanos Judæorum cognatos eſſe, & ab Abrahamo item oriundos, 1 Maccab. XII. 21. Joſephus lib. XII. Antiq. Jud. c. 5. *Cum in ſcripturam quandam incidiſſemus, invenimus, ex eodem genere eſſe Judæos & Lacedæmonios, ceu è domo Abrahami oriundos.* Sed cognationem illam merito Scaliger, tanquam commentitiam, rejecit, lib. III. Can. Iſagog. pag. 232. & Bochartus lib. I. Geograph. c. 22. Arium hoc a fabula, de Judæo quodam Spartone, hauſiſſe putat; eam autem avide arripuiſſe Judæorum Proceres, ut hoc obtentu à Lacedæmonibus auxilium liberius implorarent. Parum itaque veriſimile eſt, Græcos ſymbola ſua, ex legibus Hebræorum, lingua peregrina ſibique ignota ſcriptis, didiciſſe: quum ipſi potius acri & ſubtili ingenio multa excogitarint, ut Palamedes, in bello Trojano, ſigni dationem & teſſe-

teſſeras inveniſſe dicitur, apud Plinium lib. VII. Hiſt. nat. c. 57. Alii alia, quorum majorem notitiam haberemus, ſi libri eorum rituales ſupereſſent, quos Pauſanias in Arcadicis, & Galenus initio libri VII. περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως, laudarunt. Multum præterea ſtudii in eo poſuerunt, aliorum inventa, ut illuſtrarent, emendarent & redderent meliora: nam Solon apud Lucianum, de Gymnaſiis, cives ſuos prædicat, quod nequaquam ſibi dedecori ducant, ab homine peregrino ac barbaro diſcere. Plato lib. XII. de LL. iiſdem commendat plus ſemel: *ut patriæ urbi communicarent, ſi quid alibi reperiſſent, ei futurum & uſui & ornamento.* Alexander denique apud Curtium lib. VIII. c. 8. infit: *Perſarum mores in Macedonas perfundo: in multis enim gentibus eſſe video, quæ non erubeſcamus imitari: nec aliter tantum imperium apte regi poteſt, quam ut quædam tradamus illis, & ab iiſdem diſcamus* Græci ergo plerorumque magiſtri potius fuerunt, quam parentes; licet jactabundi plura ſibi vindicarint, quam par erat, ut vel fœderum exemplo apparet, quæ Plinius lib. VII. Hiſt. nat. c. 57. perperam Theſeo inventori adſcribit. Cautione hic etiam opus eſt, ne diverſos ritus, qui apud Græcos, in plurimas civitates, odio principatus tyrannici, diviſos occurrunt, confundamus.

Ut

Ut enim ceteros præteream, Lacedæmonii alia lingua, quam Athenienſes, alio dicendi, ſcribendi, & præliandi genere uſi fuerunt, metuque collationis in diverſum ſtudia ſua deſtinarunt, auctore Symmacho lib. I. Epiſt. 45. Lycurgus ſponſæ capillos cutetenus circumtonderi, eamque, amiculo virili & calceamentis à pronuba indutam, in toro collocari voluit: ex lege autem Solonis, inter varios nuptiarum ritus, ſponſa, in thalamum deducta, malum Cydonium cum ſponſo comedit. Rurſus apud Macedonas deſponſati panem gladio ſciſſum comedebant; Galatæ in eodem poculo libabant; craſſi vero Bœoti axem currus, quo ſponſa domum ducta, ante fores comburebant, ut illa diſceret, iſthic ſibi manendum eſſe, omni ad remeandum vectura deficiente. Tota Græcorum Juriſprudentia, in judiciis, jurejurando, & teſtium rogatione, ſymbolis abundat, ut infra ſuis locis dicemus: ſed maxime in contractibus hoc adminiculo opus fuit, ob fluxam fidem & diffidentiæ plenum ingenium, de quo paſſim Comicorum extant querelæ. Euclio Plautinus Aulul. Act. II. Sc. 2. vſ. 81. *Scio*, inquit, *quo vos pacto ſoleatis perplexarier; Pactum non pactum, non pactum pactum eſt, quod vobis lubet.* Charinus Terentii Andria Act. IV. Sc. I. vſ. 10. impudentiſſimam hominum, qui promiſſa

miſſa implere nollent, orationem commemorat:

Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi?
Heus, proximus ſum egomet mihi. attamen ubi fides
Si roges, nihil pudet, hic ubi opus eſt
Non verentur illic, ubi nihil opus eſt, ibi verentur.

Idem indicat Plautina parœmia, Aſinar. Act. 1. Sc. 3. vſ. 48. *Græca mercari fide*, id eſt ἐκ χειρὸς, εἰς χεῖρα: *præſente pecunia* Ulpianus dixit in *l.* 15. §. 7. *D. de Re judic.* eumque morem, ex genio populi, Plato lib. VIII. de LL. & Ariſtoteles Ethic. Nicom. VIII. c. 15. probarunt, exiſtimantes, homines contentos eſſe debere fide, quam ſint ſecuti, judicia vero eis, qui fidem habuiſſent de pretio, danda non eſſe, ne litibus civitas impleretur. Nota eſt Tullii *Græcula chirographi cautio* lib. VII. epiſt. 18. ipſeque Polybius gentis ſuæ fidem elevat, & Romanæ poſtponit lib. VI, Hiſt. cap. 54. *Qui publicam pecuniam tractant, apud Græcos quidem, ſi vel unum talentum fuerit eis creditum, decem reſcriptoribus adhibitis, ſigillis totidem, teſtibus autem duplo pluribus, fidem tamen ut ſervent, impetrare ab iis nequeunt.* Hæc cauſa eſt, cur apud Rhodios contractus quidam non prius rati fuerint, quam per actuarium ſignati eſſent in commentariis reip.

reip. auctore Dione Pruſæenſi, in Rhodiaca. Athenis item emtiones, donationes, teſtamenta & manumiſſiones, interventu Magiſtratuum fiebant; quo ſcilicet non modo magis ſolennes eſſent ejuſmodi obligationes, ſed & firmiores, in quibus ipſa civitas teſtis interveniſſet, ut pulchre Iſæus docet *περὶ φιλοκτήμονος κλήρου* pag. 54. Multa huc pertinentia notavit Theophraſtus in loco, qui apud Stobæum eſt, Serm. 42. ubi varia de arrhabone & ſolennitate venditionis, non parum diſcrepantia a jure Romano. Hinc etiam contrahentes ſegmentis dimidiatorum nummorum, ſemicirculo ſimilibus, vice ſymbolorum uti ſolebant; quorum alterum emtor, alterum venditor ſibi retineret, id quod Pollux lib. IX. cap. 6. ſegm. 71. elegante Hermippi loco probat; ubi emtor queritur, ſymbolo amiſſo, alteram pretii jam ſoluti partem ſibi periiſſe, quod probatione eſſet deſtitutus. Multa etiam alia ſigna externa *νόμου χάριν*, vel ut Modeſtinus ait, in *l.* 2. §. 1. *D. Qui pet. tut.* *ὁσίας χάριν*, in negotiis magni momenti, adhibenda fuerunt, ut eſſent *τὰ ὄμματα τῶν ὤτων πιστότερα*, & fides, vulgo ſuſpecta, redderetur *impolluta*, *certa* & *pura*, quibus elogiis Horatius, Flaccus & Silius fidem Atticam honorarunt. De Spartanis haud benigne judicant Athenienſes, odio ſtimulati: Ariſtophanes in Acharn.

Act.

Act. II. Sc. II. eos neque jusjurandum, nec altaria, aut promiſſa ſacroſancta habuiſſe, dicit. Euripides quoque in Androm. vſ. 446. eos δόλια βȣλεύματα *doloſa conſilia* & αἰσχροκερδεῖς, *turpis quæſtus cupidos*, ſicut Lycophron αἱμύλȣς vocavit. Ut ergo calliditas, mente clauſa, latebris ſuis extraheretur, in magna illa literarum imperitia, frequens ſymbolorum in contractibus fuit uſus. Nam Dioſcorides περὶ Νομίμων, & ex eo Scholiaſtes Ariſtophanis ad Aves, ex hoc rurſus, more ſuo, Suidas in Σκυτάλη referunt, morem fuiſſe apud Laconas, ut fœneratores, præſentibus binis teſtibus, ſtipulam, ſeu ſcytalen, in duas diffrangerent partes, in quibus utriſque pacti conditiones, τὰ συμβολαῖα, ſcripta eſſent, & hæc tum teſtibus tradi, illa verò à feneratoribus retineri. Reliqua prætereo. v. gr. quod comam alere ibi ἐλευθερίας σημεῖον, libertatis ſymbolum, Ariſtoteles lib. I. Rhet. cap. 9. & pileum, εὐγενίας παράσημον, Soranus in vita Hippocratis, vocat. Haſtam denique huic genti longo tempore σύμβολον permanſiſſe, recte ſcribit Julianus Orat. II. nam pueris quoque, ut nati eſſent, clypeo impoſitis, ominis cauſa, haſta, velut fortitudinis ſymbolum, apponebatur, auctore Thucydidis Scholiaſte lib. 2. Haſtæ quoque peculiaris inventores feruntur, apud Plinium lib. VII. Hiſt. nat. cap. 57. &

& Gregorius Nazianz. epiſt. 139. ad Temiſtium ait: Σπαρτιάτας ἡ λόγχη γνωρίζει, *Spartanos haſta notos facit.*

Caput X.

Symbola Romanorum.

Ordinis ratio ad Romanos, rerum dominos, nos perduxit; quorum inſtitutis par eſt,ut diutius immoremur; quia quicquid legum & rituum uſquam egregium fuit, in civitatem ſuam acciverunt, ac deinde, cum vaſto imperio & coloniis, in omnes alias Europæ regiones iterum diffuderunt. Præclare de iis Cæſar apud Salluſtium Catilin. 52. *Majores noſtri neque conſilii neque audaciæ unquam eguere, neque ſuperbia obſtabat, quo minus aliena inſtituta, ſi modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, inſignia Magiſtratuum ab Tuſcis pleraque ſumſerunt: poſtremo quod ubique apud ſocios aut hoſtes idoneum videbatur, cum ſummo ſtudio domi exequebantur: imitari, quam invidere bonis malebant.* Fabius quoque Quintilianus lib. 1. Inſt. orat. c. 9. *Peregrina, ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines, ut inſtituta etiam multa venerunt. Taceo de Tuſcis, & Sa-*

Sabinis & Praeneſtinis. Sed quænam fuerint illæ gentes, a quibus plurima & notatu digna acceperint Quirites, quæritur. Illud Cicero, Strabo, Dionyſius, Florus, omneſque ceteri, cum Salluſtio, uno ore non teſtantur, ſed clamant, faſces, trabeas, ſecures, omniaque Magiſtratuum inſignia & decora, quibus imperii dignitas eminuit, jam Regum tempore, ab Etruſcis ad Romanos perveniſſe. In ſacris quoque, ritualibus Etruſcorum libris & Etruſca diſciplina, nihil decantatius fuit; unde *genitrix & mater ſuperſtitionis Etruria* dicitur apud Arnobium lib. 7. Inde ritus condendi urbes, & ſacrandi aras; inde cæremonias & ſacrorum religionem petiit Numa; inde etiam Macrobius lib. I. Saturn. c. 6. bullarum inſigne vere derivat: nam imago pueri Etruſci, a Fontanino, in deſcriptione Hortæ Etruriæ urbis, publicata, bullam â collo ſuſpenſam habet. Sed quia Italiæ populi Græcorum coloni erant, nil cauſæ eſt, cur multis demonſtrare conemur, ritus & mores illorum Romanos ſecutos eſſe. Argumentum ejus rei præbent formæ literarum, quæ apud veterrimos Græcorum, eædem fuerunt, quæ Latinæ: quia Etruſci a Corinthio Damarato, Aborigines ab Arcade Evandro, Latini à Pelaſgis eas acceperunt, Tacit. XI. Annal. c. 14. & Plinius lib. VII. Hiſt. nat. c. 57. Aperte Dionyſius Ha-

Halicarn. lib. I. Antiq. cap. 93. *quæcunque ſunt Græci generis indicia, Romani magis, quam ulli alii Græcorum coloni, retinent.* Sed fortius lib. VII. c. 65. id ipſum urget, in medium productis utriuſque populi moribus, legibus, ſtudiis, cæremoniis, & temporis, quo ſcribebat, exercitiis, ut evinceret, ante devictam Græciam, Græcorum urbem Romam fuiſſe. Plutarchus in Marcello cap. 3. *Soliti*, inquit, *Romani nihil barbaricum aut inuſitatum facere, ſed quam maxime Græcorum cæremonias imitari.* Plane Romulus, in regni ſui conſtitutione Lacedæmonios æmulatus eſt, pluresque eorum mores in urbem per duxit, auctore Dionyſio lib. II. c. 23. & Athenæo lib. VI. fin. Decemvirales vero leges à Græciæ urbibus ceteris, & maxime ab Athenienſibus petitæ ſunt, non a Lacedæmoniis, ut recte Auguſtinus lib. 2. de Civ. Dei cap. 16. fruſtra ab aliis erroris accuſatus. Cum hac etiam temporum diſtinctione accipiendus eſt §. 10. *I. de Jure nat.* & Symmachus lib. III. epiſt. II. *leges de lare Lycurgi & Solonis ſumſeramus.* Atque ita habemus gentem, quæ Romanis miſit jura, & unde humanitas, religio & doctrina in omnes terras Romæ diſtributa putabantur, teſte Cicerone pro Flacco cap. 26. & Plinio lib. VIII. ep. 24. Ex his quoque conjicere licebit, quid de eorum

rum opinione habendum ſit, qui Judæos Romanorum in pleriſque fuiſſe magiſtros, & integras ſymbolorum nubes, ex arcano volumine Moſis, cum his, licet neſcientibus & invitis, communicaſſe, ſibi aliiſque perſuadent. Signatus eam in rem eſt Tertulliani locus in Apolog. cap. 45. quem eo lubentius adſcribam, quod antiquitatem collationis legum Romanarum cum divinis oſtendit: *Sciatis*, inquit, *ipſas quoque leges veſtras, quæ videntur ad innocentiam pergere, de divina lege, ut antiquiore, formam mutuatas.* Quocum antiquius jungam Senecæ teſtimonium, quod, ex libro ejus deperdito, contra ſuperſtitiones, D. Auguſtinus ſervavit, de Civit. Dei lib. VI. cap. XI. *Uſque eo ſceleratiſſimæ gentis conſuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta ſit, victi victoribus leges dederunt.* Verum, etſi in Rutilii Itinerario ſimile quid occurrat, res illa tamen ſcrupulo non carebit, ſi vel unice futilia, de legibus & moribus Judæorum mendacia, & tot publica, de nubium, cœli, atque aſini cultu convicia, à ſcriptoribus præſtantiſſimis affirmata & credita, cum vehementiſſimo omnium gentium, & maxime Romanorum deſiderio, patrios ritus, & cæremonias retinendi, componamus. Quanti eos, fecerit Cicero ſequentia ejus pro Flacco cap. 28. verba oſtendunt: *Sua cuique ci-*

vitati,

vitati, inquit, *religio eſt, noſtra nobis. Stantibus Hieroſolymis, pacatiſque Judæis, tamen iſtorum religio ſacrorum a ſplendore hujus imperii, gravitate nominis noſtri, majorum inſtitutis abhorrebat; nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de imperio noſtro ſentiret, oſtendit armis: quam cara diis immortalibus eſſet, docuit, quod eſt victa, quod elocata, quod ſervata.* Simile Auguſti judicium effecit, ut Cajum Nepotem collaudaverit, quod Judæam prætervehens, apud Hieroſolymam non ſupplicaſſet, auctore Suetonio lib. II. c. 93. Tiberium deinde Ægyptios Judaicoſque ritus compeſcuiſſe, ac juventutem Judæorum, per ſpeciem ſacramenti, in provincias gravioris cœli diſtribuiſſe, idem ſcribit lib. III. c. 36. Nil denique præter meram ſuperſtitionem, in inſtitutis Hebraicis, miſeri illi cernebant. Ita Quintilianus lib. III. Inſtit. orat. cap. 7. *Eſt conditoribus urbium infame, contraxiſſe aliquam pernicioſam ceteris gentem, qualis eſt primus Judaicæ ſuperſtitionis auctor.* Similiter Ulpianus religionem eorum *Judaicam ſuperſtitionem* vocat, in *l.* 3. §. *f. D. de Decurion.* Tacitus *pervicaciam ſuperſtitionis* iis tribuit, lib. II. Hiſt. c. 4. alibi *Gentem ſuperſtitioni obnoxiam, religionibus adverſam*, appellat lib. V. Hiſt. c. 13. Verumenimvero licet ex his ſatis appareat, Roma-

nis Judaica inſtituta vilia fuiſſe, fieri tamen potuit, ut per manus aliarum gentium quædam eorum adoptaverint, aut ab ipſis didicerint Judæis, qui in urbe & provinciis, magno numero, ſalvaque legum ſuarum libertate, habitabant, ut ex Horatio, Juvenale, Martiale, Dione & Rutilio conſtat. Semper enim Romanis in more fuit, quod ubique gentium pulchrum, laudabile & excellens eſſet, id magis magiſque imitatione honeſtare, miſſis etiam propriis, quæ minus decentia, aut rebus ſignandis non adeo apta eſſe comperiebantur. Ea præterea ſuperſtitione laborabant, nihil ut ſatis expreſſum & conſtitutum, nihil firmum ratumque haberent, niſi quod ſuis ritibus, ſuis ſignis & formulis eſſet expeditum. Hinc ſymbolorum in Templis, Senatu, Campo, militia, triumpho, foro, traditionibus, auctionibus, nuptiis, teſtamentis, funeribus & ſepulchris tanta ſeges, ut ne quidem Ægyptiis numero eos ceſſiſſe putes. Annulus aureus non ordinis modo Equeſtris, ſed & ingenuitatis ornamentum erat; Inſignia familiarum Sueton. in Calig. cap. 35. & honeſtorum natalium Tertullianus in Apolog. c. 6. memoravit. Pileum *inſigne receptæ libertatis vocat* Quintilian. decl. 9. Ut gratum diis eſſet ſacrificium, ſupplicantes ſigna deorum contingebant. Juſ-

ju-

jurandum, ex animi ſententia, per lapidem ſilicem vel tactis aris præſtabatur. Gleba, e prædio ad Prætorem delata, fundi ſimulacrum erat. Mandatum exporrecta dabatur manu: aurium attrectatio anteſtationis: palmæ datio, ictus & circumactio manumiſſionis ſymbola erant. Bovis cornupetæ cornibus, in modum anſulæ, fœnum alligabant. Quæ publice venibant, haſtæ ſubjiciebantur. Aqua & igni virginem accipere, Scævola nuptias celebrare interpretatur, in *l. pen.* §. 1. *D. de Donat. int. vir.* Ut ſervi venales ab emtoribus dignoſcerentur, gypſati pedes inſigne erant, trans mare advectorum, Plin. lib xxxv. c. 17. pileatos venundari, notabat, eorum nomine venditorem nihil præſtare, Gellius lib. VII. cap. 4. qui belli lege, in captivitatem redacti, ſub corona vendebantur, Varro lib. II. de R. R. cap. 10. Mirifica inprimis in actibus legitimis, ſeu ſolennioribus juris exercendi actionibus, populi Rom. diligentia fuit, adeo ut Cujacius ad *l. 5. & l. 77. de R. J.* exiſtimarit, in iis omnibus non minus ſymbola interveniſſe, quam in mancipatione æs & libra adhibebatur. *Omnes fere actus legitimi*, ait, *habebant ſymbola quædam.* Huc etiam varia eorum referri poſſunt, quæ non vere, ſed conſuetudinis ſervandæ gratia, & *dicis cauſa* fieri dicebantur, qua forma loquendi

Cicero, Varro, Nepos & Juriſconſulti crebro utuntur. Multa de ea Alciatus lib. IV. Diſpunct. cap. 15. Lælius Taurellius de militiis ex caſu, Auguſtinus lib. II. Emend. c. 1. Victorius lib. VIII. Var. lect. c. 24. Duarenus lib. 1. Diſput. anniv. c. 47. Cujac. v. Obſ. 33. Pythœus lib. 2. ſubſeciv. c. 8. Rittershus. lib. III. Sacr. lect. c. 12. & qui non alii ſcripſerunt. Nos aptiſſimum infra ejus exemplum dabimus, quod in venditionibus imaginariis, nummus unus, ad ſpeciem pretii & memoriam priſtini moris, æs rude appendendi, intervenit, non de manu in manum, ſed ut appareret ita geſtum eſſe. Hotmanus eo provectus eſt, ut lib. x. Obſerv. c. 7. conjecerit, moris fuiſſe, ut in obligationibus, dicis cauſa, promiſſor necteretur, & in ſolutionibus vinculum ſolveretur; id quod vereor, ne alii ad Auruncorum Sicanorumque tempora, cum Evandri matre obruta, referre malint; quamvis forte nonnulla ejus rei veſtigia ſuperſint. Varro lib. v. de LL. *ſponſu alligatus* dixit; Horatius lib. II. ſat. 3. ℣. 70. nexus & obligationes juris *catenas* & *vincula* appellavit: Zonaras t. II. Hiſt. retulit, Veſpaſianum, cum Joſephum e vinculis ſolvere vellet, Tito hortante, ut & ignominiam demeret, catenam ſecuri diſſecari juſſiſſe, quo hoc mimo ſimul com-

compedum nota & infamia elueretur. Votum denique ſolvere dicebantur, qui tabulas votivas, genibus deorum affixas, revellebant, poſtquam, re impetrata, promiſſum præſtitiſſent. Vid. Rutgers. lib. v. Var. lect. c. 5. Ne quis vero ruditatem hujus ſymboli adſpernetur, meminerimus, priſcos Latii colonos, etiam Romuli prolem, ut Columella ait, aſſiduis venatibus, atque agreſtibus operis indulgentem, vere ruſticam fuiſſe; nam ipſi Proceres diu in agris morati ſunt, a quibus per viatores in ſenatum arceſſebantur, & Cicero, adhuc ſuo tempore, pro Sextio, in Optimatium ſecta, collocat *municipales ruſticoſque Romanos*. Rudioribus certe ſymbolis his, quorum nonnulla forſan quinquaginta illis legibus, quas Servius Tullius de contractibus & delictis rogavit, originem debent, ſtetit fides, maximum vinculum civitatis; nam Dionyſius Halicarnaſſenſis, homo Græcus, cuique eam pro ſanctiſſimo jurejurando fuiſſe, ſcribit, lib. II. Antiquit. cap. 75. Quinimo hac ſimplicitate magiſtra, uſque ad bellum Punicum tertium, tot virtutibus aut virtutum incitamentis inclaruit populus, ut Florus eum hactenus pulchrum, egregium, pium, ſanctum atque magnificum appellare non vereatur. Poſtquam vero Punica calliditas ad eos acceſſit, & Græcia victa victores

ſuos cepit, ob raram innocentiam, copiam negotiorum, & injuriam pro natura multitudinis æſtuantem, novis opus fuit morborum remediis, & ſymbolorum vinculis, quæ ſcelerati Protei effugere nequirent. Graviter Seneca malitiam ſui temporis caſtigat lib. III. de Benef. cap. 15. *Utinam*, inquit, *nulla ſtipulatio emtorem venditori obligaret, nec pacta conventaque impreſſis ſignis cuſtodirentur! fides potius illa ſervaret, & æquum colens animus! Sed neceſſaria optimis prætulerunt, & cogere fidem, quam ſpectare malunt. Adhibentur ab utraque parte teſtes: ille per tabulas plurium nomina interpoſitis parariis facit: ille non eſt interrogatione contentus, niſi rem manu ſua tenuit. O turpem humano generi fraudis ac nequitiæ publicæ confeſſionem! Annulis noſtris plus, quam animis creditur.* Eandem labem ſatyrico ſale defricat Juvenalis ſat. XIII. ℣. 135.

Sed ſi cuncta vides ſimili fora plena querela:
Si, decies lectis diverſa parte tabellis,
Vana ſupervacui dicens chirographa ligni,
Arguit ipſorum quos litera, gemmaque princeps
Sardonychum, loculis quæ cuſtoditur eburnis.

Errat profecto, qui in rebus maxime inſtabilibus, quærit firmitatem; tales autem ſunt ritus & ſolennia, quorum arbitrium & norma penes uſum eſt, optimum ejus magiſtrum, quod reip. conducat. Sicut ergo crimen non eſt,

eſt, à veteribus rebus in novas migrare, ita, moribus & conſuetudine vitæ mutata, in alios ritus & ſymbola rem magis ſignificantia, tranſiere Romani, idque laudi iis ducit Prudentius contra Symmachum lib. II. vſ. 303. cujus verba exſcribere non pigebit:

Roma antiqua ſibi non conſtat, verſa per ævum,
Et mutata ſacris, ornatur legibus, armis:
Multa colit, quæ non coluit ſub rege Quirino:
Inſtituit quædam melius, nonnulla refugit.
Et morem variare ſuum non deſtitit; & quæ
Pridem condiderat jura, in contraria vertit.
Quid mihi tu ritus ſolitos, Romane Senator,
Objectas? quum ſcita Patrum populique frequenter
In tabulis placiti ſententia flexa novarit?
Nunc etiam, quoties ſolitis decedere prodeſt,
Præteritoſque habitus cultu damnare recenti,
Gaudemus compertum aliquid, tandemque retectum,
Quod latuit: tardis ſemper proceſſibus aucta
Creſcit vita hominis & longo proficit uſu.

Exemplum eſto, quod Romulus adeo durum jus patriæ poteſtatis fecerat, ut pater filium ter vendendi facultatem haberet, iſque, poſt primam & ſecundam mancipationem, ſi caſu liber evaſiſſet, in patris poteſtatem recideret: poſtea vero cultioribus ſufficere viſum eſt, filium imaginarie vendi, terque nummum ap-

appendi, auctore Gellio lib. v. c. 19. & Boëthio in Topica: *Civitatis Romanæ jure liberi retinentur in patrum arbitrio, uſque dum tertia mancipatione ſolverentur.* Varia hujuſmodi in ſacris illorum indicare poſſemus, quæ poſtera ætate utcunque facere cœperunt, quo religione defungerentur, ut Tertullianus iis exprobrat in Apolog. quum antea pro ſimulatis vere fieri ſolerent. Ita ſcirpeas hominum effigies de ponte in Tiberim mittebant, vice ejus, quod Aborigines hominem ſexaginta annorum, quotannis Saturno immolabant. Ovid. v. Faſt. vſ. 631.

Illum ſtramineos in aquam miſiſſe Quirites,
Herculis exemplo, corpora falſa jaci.

CAPUT XI.

Symbola Germanorum.

INgrati civis foret, ſi cum de ceterarum gentium ſymbolis adeo ſolliciti fuimus, de patriis Germanorum ritibus ſileremus, ſtudiumque peregrinis ac veteribus impenſum, domeſticis & recentioribus negaremus. Quamvis enim minor apud hos ſit elegantiarum ſeges, nec per amœniſſima vireta incedere liceat, ſed ex chronicorum ſitu & pulvere, quorum

quorum auctores monachi, nec literis exculti, nec rerum periti fuerunt, pleraque, velut ex ſtercore Ennii aurum, eruenda ſint: ſive tamen morum ſanctimoniam, ſive fidei conſtantiam, ſive felicem eorum ſimplicitatem adſpicias, pleriſque, qui ſe moratiores jactarunt, populis palmam dubiam reddidiſſe videntur. Græculorum iſte erat faſtus, ut reliquos omnes, tanquam barbaros, magno ſupercilio deſpicerent: in eandem arrogantiam ſucceſſerunt Romani; ſed Tacitus, in aureo de moribus Germanorum libello, cornicum oculos confixit, quaſi in civium ſuorum opprobrium teſtatus, plus ibi bonos mores, quam Romæ bonas leges, valuiſſe. Recentiores quoque Germanicæ nationes, omnem late Europam invadentes, novum quaſi jus gentium introduxerunt: *ſicut enim olim jura Græca, ita deinde Germanica inſtituta paſſim recepta ſunt, & nunc etiam vigent*, ſcribit Gtotius lib. II. de Jure Belli & Pac. cap. 8. §. I. n. 2. Atque hoc eſt jus illud, ſcitu digniſſimum, quod idem alibi *legem civilem multarum nationum*, Seldenus *jus gentium domeſticum* appellavit. Jam vero vetuſtiores Germani, inter ferrum & arma nati, licet non prorſus ἀγράμματοι, tamen tardiores in addiſcendis literis fuerunt; quapropter ſymbolis munienda fuit contractuum fides, ut fir-

firmior eſſet obligatio, & certior ratione præſtationum. Poſteriores vero, literas edocti, utilitatis cauſa, eadem retinuerunt, tum ut moribus antiquis viverent, tum quoque, ut cives per ejuſmodi ſigna officii ſui monerentur. Scio, Vellejum Paterculum lib. II. Hiſt. cap. 18. Germanos in *ſumma feritate verſutiſſimos* appellaſſe, *natumque mendacio genus:* ſed durum illud judicium, partim ſolitæ ejus adulationi, partim odio adverſus hoſtes tribuendum eſſe, docuerunt jam alii; & verius principes Friſiorum Romæ in theatro exclamabant; *Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe*, ut Tacitus refert, lib. XIII. Annal. c. 54. Sacra quædam inſignia veterum Germanorum, ut liburnam & formas aprorum, habet idem Cornelius de Morib. Germ. cap. 7. 9. & 45. Bellicum ſervavit Plinius, oculatus teſtis, lib. XXII. cap. I. *Apud antiquos ſignum victoriæ erat, porrigere herbam victos, hoc eſt terra, & altrice ipſa humo, & humatione cedere, quem morem etiam nunc durare in Germania ſcio.* Galli quoque, Germanorum, ut Strabo vocat, conſanguinei, ſcientiæ hujus ſtudioſiſſimi: nam Plinius lib. XXIX. cap. 3. ovum, generationis rerum omnium ſymbolum, *inſigne Druidis* appellavit. Diodorus Siculus lib. V. Biblioth. cap. 29. velut proprium Celtarum ritum refert,

ma-

manubiarum primitias, non ſecus atque feras, a ſe trucidatas, veſtibulis domuum affigere: licet idem Græcis quoque & Romanis uſitatus fuerit, non modo in liminibus templorum, ſed etiam præ foribus illuſtrium. Auctorem laudo Manilium lib. iv. Aſtron. de ſigno Leonis:

Hoc habet hoc ſtudium, poſtes ornare ſuperbos
Pellibus, & captas domibus præfigere prædas.

Hujuſmodi vero inſtitutorum tenaciſſimi fuerunt Galli, quamvis eos, ex quo provinciales Romanorum facti, multa ab his adſciviſſe, credibile ſit. Hinc, inclinante jam imperio, Gallos nobiles adhuc a plebe diſtinxit capillus, tanquam avitæ libertatis & nobilitatis inſigne, auctore Sidonio lib. 2. ep. 1. Francos ſimiliter, in contractibus & matrimoniis, leges Romanas ſervaſſe, Agathias ſcribit lib. 1. de Reb. geſt. Juſtin. Quælibet alia etiam natio Germanica, quo propior fuit Romanis, ac commercia eorum frequentavit magis, eo citius quoque ſymbola eorum imitata eſt, vel ſola *origine veneranda*, ut in alia re Tacitus loquitur, lib. 11. Annal. cap. 54. Nihilominus tota ſymbolorum domeſticorum ſeges præſto eſt, quorum vix ulla, aut tenuia, apud reliquas gentes, veſtigia reperiuntur. Canis, apud pleraſque gentes, animal, ob impudentiam & libidinem, contemtum fuit: nihil indignius eſt, quam vocari canem,

coque

eoque convicio homines impuri, cinædi, maledici & delatores, in ſacris & profanis, pariter ac hodie fæx & ſentina plebis voce *canaille*, notantur. 2 Sam. III. ℣. 8. Apoc. XXII. ℣. 15. Terent. Eun. Act. IV. ſc. 7. vſ. 33. Martial lib. IV. Epigr. 33. Vix autem dabis mihi populum, apud quem portatio canis maximi opprobrii ſymbolum fuerit, in nobilibus militibus, qui capitis eſſent damnati, quam apud Francos & Suevos, ut ex Arnoldo Lubecenſe lib. VII. c. 2. Witichindo lib. II. Annal. Sax. Dodechino ad A. 1155. & Othone Friſingenſi lib. II. de geſtis Frid. cap. 28. omnibus notum eſt. Guntherus in Ligurino lib. V. vſ. 206.

—— *decem Comites, totidemque coacti,*
Fœda tulere canes generoſo pondera collo.

Nota erant, in militia Romanorum, argumenta facinorum editorum herioca in ſcutis depicta: quod vero gentium & familiarum inſignia nunc hereditaria ſunt, à feudis Germanorum, torneamentis, & cruciatis in Palæſtinam, eſt repetendum. Cingulum, armatæ & Palatinæ militiæ emblema, a Romanis fluxit: apud priſcos autem Germanos: *Arma ſumere, non ante cuiquam moris, quam civitas ſuffecturum probaverit: Tum in ipſo Concilio vel Principum aliquis, vel propinquus, ſcuto frameaque juvenem ornant.*

nant. Hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos, ſcribit Tacitus de M. Germ. cap. 13. Atque ex hac inaurugatione militari, ſolennitas Equites creandi, & adoptandi per arma, ſine dubio natales ſuos ducit. Notus eſt mos veterum nuptias per coëmtionem imaginariam contrahendi; idem uſitatus fuit Francis. Fredegarius de nuptiis Clodovei & Chlotidis: *Legati offerentes, ſolido & denario, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovæi ſponſant.* Sed addit Gregorius Turonenſis, in vita Leobardi, priſco ritu, cum oſculo & annulo, calceamentum quoque ſponſæ porrectum eſſe. Romanis ſolenne fuit, ſervos manumittere per vindictam: verum, ex lege Salica & Ripuaria, manumiſſiones fiebant per handtradam, per portas patentes & denarii jactum. Apud Longobardos per ſagittam. Paulus Diaconus lib. 1. de Geſtis Longob. c. 13. *Ut rata eorum poſſet haberi libertas, ſanciunt, more ſolito, per ſagittam, immurmurantes nihilominus, ob rei firmitatem, quædam patria verba.* Romæ, utilitatis cauſa, receptum, ut traditione ſymbolica, per claves horrei vel per inſtrumenta, poſſeſſio rei immobilis transferri poſſet: at majores noſtri pluribus longe ejusmodi traditionibus, ne pacta eſſent nuda, uſi fuerunt: per gladium, per baculum, per herbam, per chirothecam, per glebam, per viridem

ridem ſcirpum, per culmum & feſtucam, unde Effeſtucatio dicta. Teſſeræ illæ, ſolenni more porrectæ, poſteris in monimentum erant factæ translationis; ideoque in archivis diligenter ſervabantur; vide Sirmondi notas ad Goffr. Virdoc. lib. I. epiſt. 6. Traditionis hujus frequentia ex ruditate temporum deſcendit: promota fuit facilitate, quia feſtuca ubivis occurrit: ab effectu *veſtitura* dicta fuit, voce vernacula, quæ firmitatem notat: denique hac in re diſcrepat à Romana, quod non requirit, ut in re præſenti, ſeu conſpectu fundi, ſymbolum porrigatur. Hinc etiam liquet, ſymbola inveſtiturarum feudalium, puta per traditionem gladii, vexilli, haſtæ, ſceptri, libri, baculi & annuli, ſolis Germanis accepta ferri debere; quos etiam ruſtici provinciales imitati ſunt, in inſtrumento venditarum ædium, e vetuſta membrana deſcripto, apud Briſſonium de Formulis, lib. VI. pag. 501. TU PASCUTI FUSTE ILLUM INVESTITO, TU SEGNITI FUSTEM MANU CAPITO. Ceterum late patuit gens Germanica, & ſicut, Roderico Toletano auctore, *Teutonia*, *Dacia*, *Norvegia*, *Suecia*, *Flandria & Anglia unicam* olim *habuerunt linguam*, idiomate tantum differentem; ſic etiam ſymbola eadem fere populis, quotquot Germaniæ, gentium vaginæ, ortum debent. De Anglis Ingulphus in Chronic.

Croy-

Croyland. *Conferebantur antea multa prædia nudo verbo, abſque ſcripto vel charta, tantum cum domini gladio, vel galea, vel cornu* (id eſt poculo) *vel cratera*; & *plurima tenementa cum calcari, cum ſtrigili, cum arcu, & nonnulla cum ſagitta.* Quod ait, de traditione per propinationem poculi, maxime ſapit indolem Germanorum, qui in jungendis affinitatibus, & adſciſcendis principibus, de pace denique & bello, plerumque inter pocula, jam Taciti tempore, conſultabant, nec hodie in inveſtituris ea adſpernantur. Charta apud Camdenum in Britann. topogr. *Indilato Eboracum divertit, & cornu, quo bibere conſuevit, vino replevit, & coram altari, Deo & beato Petro, Apoſtolorum principi, omnes terras & reditus flexis genibus propinavit.* Non minus memorabile eſt ſymbolum, quo Charta magna (ſic enim auguſtiſſimum Anglicanæ libertatis diploma vocatur) ſub Henrico III. ſancita fuit, à ritu excommunicationis deſumtum. Lex devotione horrendi carminis, in capita eorum, qui pactis non ſtarent, compoſita legebatur, Rege & Proceribus erectis, faces manibus ardentes tenentibus, quas, carmine perlecto, in terram projecerunt, iiſque fumantibus exclamarunt: *Sic extinguatur, ita fœteat, qui fidem non ſervabit.* Vid. Bakerus in vita Henr. III. & Knyghton de event. An-

gliæ lib. III. c. XI. Apud Suecos quoque res immobiles transferebantur per feſtucam aut tactum baculorum, à duodecim firmatoribus factum: vel per pulveris partiſve terræ venditæ, e ſinu venditoris in ſinum emtoris excuſſionem; ex quo more adhuc hodie ſupereſt formula, inſtrumento venditionis agrorum & fundorum inſeri ſolita: *cum feſtuca & gremio vendere.* Confer Stiernhoek lib. II. de jure Sueonum & Goth. vet. c. 5. De famoſa Danorum Scotatione infra dicendi erit locus. De Effeſtucatione Geldrorum Fredericus à Sande commentari cæpit, Lambertus Goris, relicto ſpicilegio, abſolvit. Friſiorum quædam ſymbola Sibrandus Siccama in notis ad Legem Friſ. tit. 9. & 12. illuſtravit.

CAPUT XII.

Sacerdotes ſymbolorum artifices.

VIſa origine & progreſſu ſymbolorum, nunc tempus eſt eorum auctores, & quodnam hominum quam maxime genus, apud ſingulas nationes jam memoratas, Juriſprudentiam illis locupletaverit, videamus. Ubi ante omnia notari velim, in Oriente, ejuſque exemplo ubivis gentium, inſtitutum fuiſſe, ut vel ſacerdotes jura redderent, vel ipſi Re-

ges

ges & Legiſlatores ſacerdotio initiarentur. Apud Ægyptios primo tempore judices fuerunt ipſi ſacerdotes, qui ſoli arcanam ſymbolorum ſcientiam, velut peculium ſuum, poſſidebant, Diodorus Siculus lib. 1. Biblioth. c. 81. & Ælianus lib. XIV. cap. 34. In Republica Hebræorum, Judicibus extraordinariis nondum conſtitutis, ſummus ſacerdos judicabat populum, ut ex Samuelis hiſtoria conſtat. 1 Sam. IV. vſ. 18. Legem quoque docere & explicare ſacerdotum & Levitarum fuit, ad quorum pedes diſcipuli ſedebant 2 Reg VI. vſ. 1. 2 Paralipom. XVII. vſ. 7. Act. Apoſt. XXII. vſ. 3. Athenis leges interpretandi ſcientia, ex Theſei inſtituto, fuit apud εὐπατρίδας, ſive Patricios, quibus etiam tribuit cognitionem rerum divinarum, & expoſitionem ſacrorum & cæremoniarum, auctore Plutarcho in Theſeo cap. 25. Romæ juris civilis ſcientiam diu apud collegium Pontificum fuiſſe, certus auctor eſt Pomponius, in *l. 2. §. 6. de Orig. jur.* Hinc Cicero initio orat. pro domo ſua, nihil præclarius a majoribus inventum eſſe, tradit, quam quod eoſdem religionibus & ſummæ reip. præeſſe voluerunt; & Livius lib. IX. cap. 46. ait: *Civile jus repoſitum in penetralibus Pontificum.* Apud Gallos iidem Druides, qui ſacrificia & rem divinam procurabant, de omnibus controverſiis publicis pri-

vatiſque conſtituebant atque decernebant, Cæſar lib. VI. de Bello Gall. cap. 13. Similiter apud Germanos neque animadvertere, neque vincire, ne verberare quidem, niſi ſacerdotibus permiſſum, non quaſi in pœnam, nec Ducis juſſu, ſed velut Deo imperante, Tacitus de M. G. c. 7. Cauſæ hujus rei minime obſcuræ ſunt. Plerique enim ſingulari veneratione ſacerdotes proſequebantur, vel ex Deorum reverentia, quorum miniſtri erant; vel ob majorem pietatem in Deos & conjunctam in homines humanitatem; vel quod inſignem ex eruditione prudentiam legislatoriam ad remp. adferebant; vel denique, ut Plutarchus in Ethicis ſcribit, quod non ſolum pro ſe ipſis, & amicis, ſed pro Republica totoque genere humano preces fundere, ejuſque ſalutem curare credebantur. Ut adeo minime mirum fuerit, ſi egregii hi rituum artifices & cultores, quædam ex hominum convictu ad ſacra, & alia e contrario a divinis ad humana, derivarint, quibus lites minui, aut actus majoris momenti exornari poſſent. Sed ipſi quoque reges erant & domini cæremoniarum erga Deos, & judices controverſiarum, ut Ariſtoteles ſcribit lib. III. Polit. XI. & Anius idem Rex hominum Deli, Phœbique ſacerdos vocatur Virgilio lib. III. Æneid. vſ. 80. Romanorum ſane primi reges augures; deinde

de rex ſacrificulus religionem curabat; poſtremo Imperatores, Pontifices maximi, remp. auctoritate ſacrorum rexerunt. Pontifex vero bonus nemo eſſe poterat, niſi qui jus civile cognoſſet, quatenus id cum religione conjunctum erat, v. c. in matrimoniis, adoptionibus, jurejurando, votis, feriis & ſepulcris, de quibus ſubortæ quæſtiones ad Pontificum notionem pertinebant, ut Radulphus Fornerius lib. VI. Rerum quot. cap. 2. multis veterum prolatis teſtimoniis firmavit. Horum vero actuum maxima fuit ſolennitas, ad quam augendam, poliendam & conſervandam, Pontifices religione quadam acciti videntur; nec temere Cicero de Haruſp. reſp. c. 9. *ſtatas ſolenneſque cæremonias pontificatu contineri*, ait, & Feſtus in voce *Ordo*, Pontificem Maximum *arbitrum & judicem rerum divinarum humanarumque appellavit.* Hinc etiam toties librorum Ritualium, Pontificalium, Auguralium, Rerum divinarum, Religionum, Indigitamentorum, Commentariorum ſacrorum, Pontificalium Quæſtionum &c. fit mentio, quorum maximam partem Juriſconſulti auctores feruntur, qui, rerum divinarum æque ac humanarum periti, quæ funerum eſſent ſolennia, qui ritus nuptiarum, quæ cæremoniæ ſacrorum, in his edocuerunt. Pulchra eorum exempla Briſſonius collegit lib. IV. Sel. antiq. c. 16.

quibus Servius Sulpicius Rufus, princeps Juriſconſultorum, jungendus eſt, propter ea, quæ in ejus vita ſcripſi, pag. 62. Nullus finis foret, ſi de Feciali populi Romani jure dicere inſtituerem; in quo ritus fœderum, pactionum & clarigationum, univerſum denique jus belli & pacis, diligentiſſime à ſacerdotibus deſcriptum erat, quos Imperatores Romani, non minus, quam Chriſtiani, in bellis ſuſcipiendis, conſulere ſolebant. Quantum valuerit auctoritas Pontificis Romani, in ritibus, moribus & ſymbolis Eccleſiaſticis, per omnem Occidentem introducendis, nemo ignorare poteſt, qui vel ſacros Canones & Pontificia jura à limine ſalutavit. v. c. quod excommunicatio fit accenſis facibus & extinctis, deſcendit ex *can. debent.* 11. *qu.* 3. quod Judæi veſtitu a Chriſtianis ſunt diſcreti, eſt ex *c.* 15. *X. de Judæis.* quod balliſtis & ſagittis adverſus Chriſtianos uti non licet, ex *cap. un. X. de ſagitt.* Veteres Galli, in ſacris peragendis, à læva dextram verſus circumagebantur, Romani à dextra ſiniſtrorſum, Plin. lib. 28. c. 2. hoc vero cum probaſſet & retinuiſſet ſedes Romana, a ſacerdotibus Gallis, in ſuis ad aram converſionibus, hodie religioſiſſime ſervari, ait Briſſonius de formulis lib. 1. pag. 37. Mitto inveſtituram Archiepiſcoporum per pallium, Epiſcoporum per baculum

lum & annulum, Abbatum per calicem, & Canonicorum per librum: vel ſola ſacramenta corporalia, tactis Evangeliis & ſanctorum reliquiis, integræ Exercitationi nobis infra materiam præbebunt. Ratio hujus rei non longe quærenda eſt: quis enim neſcit illam *potentiorem principalitatem*, quam Irenæus lib. III. c. 3. & *Apoſtolicæ cathedræ principatum*, quem Auguſtinus epiſt. 162. ſedi Romanæ largitur? Roma metropolis habebatur orbis Chriſtiani, *l.* 16. *C. de Sacroſ. Eccl.* mater omnium Eccleſiarum *cap. Non decet* 12. *diſt.* vel ut Innocentii III. in *c.* 10. *X de Off. jud. ord.* verba mea faciam: *lex divinæ conſtitutionis eam ſedem totius poſuit orbis terrarum magiſtram.* Communem enim quaſi rempublicam, vel ſi mavis familiam ſpiritualem, omnes in Occidente Chriſtiani efficere videbantur, cujus Πάππας univerſalis diu fuit Pontifex Romanus, quod pleraque regna, ejus auſpiciis, veneranda Chriſtianæ religionis ſacra acceperunt. Proſper Aquitanicus in carm. de ingratis:

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis,
Relligione tenet.

Caput XIII.

Symbola initio fuiſſe rudia, exemplo ſtipulationis declaratur.

Sic infinita ſymbola utilia tempus invenit & correxit; ſingulis autem, ut omnium rerum legumque ſunt rudimenta, domi cuique ſuæ, tenuia ſine dubio initia fuerunt; id quod plenius noſceremus, ſi Theophraſti, Apollodori, Callimachi, Heraclidis Pontici, Hermippi, aliorumque de claris legumlatoribus ſcripta ſupereſſent, quorum amiſſionem dolemus. Majorem jacturam fecit Juriſprudentia, in opere Ariſtotelis præſtantiſſimo, quo *omnium fere civitatum, non Græciæ ſolum, ſed etiam Barbariæ mores, inſtituta & diſciplinas deſcripſerat*, auctore Cicerone lib. v. de Finib. c. 4. Supereſt autem ejus teſtimonium generale lib. 11. Polit. cap. 5. & 8. priſcas leges ſimplices valde fuiſſe, ac barbarorum ritus retuliſſe: cuncta quoque, quæ reliqua eſſent ubique priſcorum inſtitutorum, inſulſa fuiſſe admodum. Idem Tacitus firmat lib. 111. Annal. cap. 26. *Leges primo, rudibus hominum animis, ſimplices erant.* Uterque autem caruit vera notitia Reip. Iſraëliticæ, qua nul-

la

la nec major, nec ſanctior, nec exemplis ditior fuit, cujusque inſtitutis nihil abſolutius aut ſapientius fingi poteſt; quia ipſe Deus, omnium legislatorum optimus maximus, ei leges divinis oraculis præſcripſit; unde Joſephus lib. 2. contra Apionem, eam non immerito Θεοκρατίαν vocavit, & *evidens eſſe*, ſcripſit, *ad pietatem, juſtitiam, & ad tolerantiam laborum, mortisque contemtum optime factas ſe habere leges.* De ceteris autem facile fidem habemus Ariſtoteli; nam Aborigines, tanquam genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio liberum atque ſolutum, Salluſtius deſcribit: alibi Getulos, neque mores, neque leges, aut imperium habuiſſe, teſtatur. Exemplum priſtinæ ſimplicitatis memorabile à ſigillis petam, quæ nunc miram elegantiam habent, ac ſymbola ſunt publici imperii & privatæ auctoritatis: apud Homerum vero nulla eorum mentio occurrit, & Laconibus ars cælandi adeo fuit ignota, ut θριπηδέστῳ, ſive θριποβρώτῳ, hoc eſt ξύλῳ ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένῳ, *ligno a vermibus exeſo*, in cera ſignarint, ſitumque, numerum & magnitudinem punctorum pro ſigno habuerint: qua de re veterum loca Meurſius dedit ad Lycophronis Caſſandram pag. 73. vſ. 508. & Kuſterus ad Suidam voce θριπήδεστον. Sic apud priſcos paſtores, qui curſu vel lucta ſuperatus,

tus, & in terram projectus erat, victori herbam ex eo loco decerptam porrigebat, ſeſeque victum hoc ſymbolo fatebatur, ut de Germanis id tradentem, ſupra audivimus Plinium lib. XXII. Hiſt. nat. c. I. de aliis Feſtus: *Herbam do, cum ait Plautus, ſignificat, victum me fateor: quod eſt antiquæ & paſtoralis vitæ indicium: nam qui in prato, curſu aut viribus contendebant, cum ſuperati erant; ex eo ſolo, in quo certamen erat, decerptam herbam adverſario tradebant.* Ex hac obſervatione etiam judicari poteſt, de origine vocis ſtipulandi, quam attulit Iſidorus lib. V. Orig. c. 24. *Veteres, quando aliquid ſibi promittebant, ſtipulam tenentes frangebant, quam iterum jungentes ſponſiones ſuas agnoſcebant.* Quidam, cum Salmaſio, nugari ajunt Iſidorum, vel illum, a quo hoc ſumſit, quia aliam vocis notationem Varro, aliam Juriſconſulti tradidere. Verius Iſidoro Grotius, Caſaubonus, Scipio Gentilis, Voſſius & Thomaſinus adſtipulantur, non modo quia Varroni, Paulo & Triboniano quantitas primæ ſyllabæ repugnat, ſed quod etiam ritus illius veſtigia occurrunt. Clariſſ. enim Heemſterhuſius, in eruditis ad Pollucem notis, pag. 1041. apud Laconas ejusmodi morem notavit, ex Ariſtophanis Scholiaſte ad Aves, cujus verba ſemel adſcribam: *Dioſcorides, in libris de inſtitutis, fœneratores, ait,*

Spartæ

Spartæ dividere ſcytalen, duobus teſtibus præſentibus, & contractum in utraque ſectione ſcribere: & unam quidem uni teſtium exhibere: alteram vero ſibi reſervare. Simile quid apud ceteros Græciæ populos obſervaſſe mihi videor, ex Euripidis Scholiaſte ad Medeam vſ. 613. ubi eos, qui hoſpitio excipiebantur, ait, talum in æquas partes ſcidiſſe, quarum alteram partem ipſi retinebant, alteram hoſpiti ſervandam tradebant, ut ſi forte ipſi, vel eorum poſteri hoſpitio indigerent, dimidia ejus parte producta, hoſpitalia jura renovarent. Plautus præterea in Ciſtell. Act. II. ſc. I. vſ. 27. *confringere teſſeram* dixit, pro fidem alicui promiſſam non ſervare, & amicitiæ renunciare, prorſus ac Itali hedierni *rompre la paglia.* Juvabit hanc conjecturam, quod Romani, ſicut in rebus majoribus haſtas longas, in minoribus feſtucas & virgas mediocres, ita in minimis ſtipulas adhibuiſſe videantur. *Feſtuca* in manumiſſionibus meminit Plautus in Mil. act. IV. ſc. I. *vis feſtucaria* Gellius, in vindicationibus, lib. XX. c. 10. quidni ergo ſtipulas admittamus, quarum tanta, in Campania Italiæ, erat craſſitudo, ut iis ligni vice uterentur? Plinio teſte lib. XVII. cap. 4. Ego ſane amplius dubitandum non putem, quin ſtipulandi vox, in Latio inter ſegetes & ruri enata, deinde vero, ut alia id genus, uſu ſublato, reten-

retenta fuerit; licet apud remotiores & minus excultos populos, ipſe ritus diuturnior deprehendatur: quod rei antiquiſſimæ ſignum eſt, ex Platonis ſententia. Sic chartæ Germanorum, pro eo, quod in formulis Marculfi, ex jure Romano eſt, *ſtipulatione ſubnixa*, vel *ſtipula confixum*, in pactis, donationibus & inſtrumentis antiquis, paſſim *culmo ſubnixa* habent, quaſi traditione ſtipulæ ea conſummata eſſent; nam feſtuca, culmus & ſtipula idem eſt, vid. Frene Gloſſ. v. *culmo*. Henricus quoque Spelmannus Gloſſ. ead. voce, in inſula maris Hibernici, quæ Mannia dicitur, hodie in uſu eſſe, ſcribit, equorum aliarumque rerum venditiones traditione ſtipulæ ratas facere. Apud Francos item & Ripuarios ſolenne erat, *cum feſtuca fidem facere*, ex Lege Salica tit. 52. §. 2. & Ripuar. tit. 30. §. 1. Iiſdem ut & Anglis & Danis ſimile nummi diſſecti ſymbolum frequens fuiſſe, Otto Sperlingius, de nummis non cuſis, pag. 276. & Chifletius, in Anaſtaſi Childerici cap. 4. amœnis exemplis docuerunt. Præterea bacillos fiſſos, ſeu taleas hodiernas, quibus ſumma debiti inciditur, in rationis memoriam & fidem. Plautus teſſeram vocavit: *Suam uterque teſſeram habet, ratio conſtat.* Ceterum priusquam hinc diſcedam, non poſſum non meminiſſe quæſtionis; an ſolennis illa interrogatio & reſponſio: Promittis?

tis? promitto. Spondes? ſpondeo, quæ in locum antiquatæ ſtipulæ ſucceſſit, ſymbolum dici poſſit? Ita viſum fuerat Duareno, *in pr. Comment. ad tit. de Verb. obl.* quia hoc ritu & veluti cæremonia ſerio ſe agere, & obligationem contrahere velle, Romani teſtabantur. Negat autem Cujacius ad eundem tit. pr. quoniam verba non ſint ſymbola, niſi allegorica: neque ex ſymbolis rei, quæ agitur, ſubſtantiam conſiſtere; & pariter alias affirmari poſſe, rem in mutuo, literas in obligatione literarum, & conſenſum in emtione ſymbola eſſe. Verum hæc tanti non ſunt, cur a Duareni ſententia diſcedamus, quam etiam Donellus calculo ſuo probavit: nam ſupra cap. 2. ſymbola vocalia non allegorica vidimus; apud veteres quoque æs & libra fuit de ſubſtantia teſtamenti; neque de vocabulo, cujus latiſſimus eſt ſignificatus, laborandum puto, dum conſtet, ſolennem verborum formam, magis ad attentionem judicii declarandam, quam ad voluntatem promittendi ſignificandam adhiberi. Plautus Pſeud. 1. 1. vſ. 110.

- - - Ps. *Roga me viginti minas,*
Ut me effecturum tibi, quod promiſi, ſcias.
Roga obſecro hercle; geſtio promittere.
Ca. *Dabisne argenti mihi hodie viginti minas?*
Ps. *Dabo, moleſtus nunc jam ne ſis mihi.*

Caput

Caput XIV.

Symbola quibus de cauſis cultiora facta.

Verumenimvero, ut veſtimenta, frigoris depellendi cauſa & adverſus aëris injurias, primum reperta, poſt ad ornamentum corporis adhiberi cœperunt; ſic ſymbola, ex infimo nata, progreſſu temporis, decentiora eſſe cœperunt, poſtquam uſus, jucunditas & fides publica ea commendavit. Sigillorum infantiam, apud Lacedæmonios vidimus, caſu prognatam; hanc uſus & neceſſitas aluit, delectatio, ars & luſus ingeniorum ad ſummam elegantiam evexit; adeo ut Plutarchus in Artaxerxe cap. 26. ſcribat, annulum affabre ſculptum, apud neceſſarios & familiares, Lacedæmone, σύμβολον φιλίας, amicitiæ teſſeram fuiſſe. Regiorum annulorum Joſephi jam & Danielis hiſtoria meminit: inſignia publica civitatum, quæ γνωρίσματα τῶν πόλεων, Procopius vocat lib. 4. Gothic. multi celebrarunt. In his autem, ſicut in virorum illuſtrium annulis ſignatoriis, varia fuit cælatura, quæ ab uſu potius, ut omnis Symbolorum & rituum res, quam ratione ſpectanda, & teſtimoniis, quam argutiis eſt firmanda. Nec enim

enim omnium, quæ a majoribus tradita accepimus, ratio dari poteſt. *Neque res tota toti rei neceſſe eſt ſimilis ſit, ſed ad ipſum, ad quod conferetur, ſimilitudinem habeat oportet*, verba ſunt Scriptoris ad Herennium lib. IV. c. 46. Signum Regis Perſarum figuram Cyri habebat impreſſam; Seleuci, Syriæ Regis, ſignum fuit anchora; Sylla, cum Jugurtham viciſſet, imaginem ejus annulo inſculpſit: Cæſar Veneris armatæ, Mæcenas ranæ effigie utebatur: Auguſtus initio principatus ſui ſphingis, mox Alexandri, noviſſime ſua imagine diplomata ſignavit. Plinii junioris annulus aposphragiſma habebat quadrigam; Amphitruonis ſigillum erat, cum quadrigis ſol oriens, apud Plautum. De multiplice hac veterum cælatura Chifletius, Sponius, Begerus, Kirchmannus, & maxime Gorlæus, in locupletata à Gronovio Dactyliotheca, adeundi ſunt. De recentiorum ſigillorum & bullarum (quarum antiquiſſima Marci Aurelii & Lucii Veri, Venetiis in Muſeo Nobiliſſimi Treviſani, ſervatur) varia materia, imagine, colore & uſu, Viri Cl. Mabillon de Re diplom. lib. II. c. 14. & Heineccius, in ſyntagm. de ſigillis, omnia exhauſerunt. In numiſmatibus ſimilem in modum, non Deorum tantum & integrarum nationum, ſed ſingulorum oppidorum & fluviorum ſymbola expreſſa leguntur: quorum

rum antiquiſſima magnæ veterum ſimplicitatis teſtimonium præbent, recentiora vero ab incolis, plantis, vel animalibus ibi naſcentibus deſumta, ſingularem eruditis ſpectatoribus jucunditatem conciliant, ut nunquam tædium eos aut ſatietas capere poſſit. Cernas in iis paſſim Jovem cum fulmine, Neptunum cum tridente, Minervam cum haſta depictam. Ægyptus per crocodilum, Corinthus per chimæram, Africa per draconem, per palmam Judæa, per equum Macedonia deſignabatur, in Philippis, aliiſque regalibus numiſmatibus, quibus veteres pro gemmis & merces loco uti ſolebant *l.* 28. *D. de Uſufr. l.* 27. §. 4. *D. de Auro arg l.* 9. §. 2. *D. ad L. Corn. de falſ.* In monetis item bos Deliorum inſigne fuit; noctua Atticorum, clypeus Thebanorum, roſa Rhodiorum. Argivi lupum, vel murem, Spartani Caſtorem & Pollucem, Samii pavonem, Cephallenes equum, Æginetæ teſtudinem, Theſpii Muſam & lyram, Patrenſes Olympii, Æchæi Neptuni, Ætoli Mercurii caput, Dyrrachii vaccam & vitulum lactantem in ea exprimebant. De fluviis Ælianus lib. 11. Var. hiſt. 33. *Fluviorum naturam & fluenta eorum oculis cernimus. Nihilominus tamen qui colunt eos, & imagines eorum fabricantur, partim humana forma eos conſecrarunt, partim boum figuram eis affinxerunt.*

runt. &c. Denique, ſicut nihil eſt in rerum natura, a quo Rhetores metaphoram non ducant, ita a plantis quam maxime & arboribus ſymbola petita eſſe conſtat. Laurus victoriæ arbor; ilex fertilitatis: myrtus lætitiam indicat, luctum cupreſſus: ramus olivæ vittatus, non populis tantum moratioribus, ſed barbaris quoque, ut Polybius tradit, deditionis, pacis & amicitiæ ſignum fuit, id quod Columbus etiam, in inſula quadam, Hiſpaniolæ vicina, apud Americanos deprehendit. Sic palma cunctis gentibus ſacra arbor fuit, & myſticis rationibus inſignis; quoniam hoc ejus ingenium eſt, ut eadem ſemper & viridia folia retineat; ſit præterea inter maxime longævas; nec urgentibus cedat, ſed ſurſum nitatur, auctore Plutarcho lib. VIII. Sympoſ. qu. 4. Hinc, ex Theſei inſtituto, pro dono victoribus apud Græcos, poſt & apud Romanos in Circenſibus ceſſit. Inde rurſus *palmati* equi in *l. un. C de Grege dom.* & *l.* 1. *C. Th. de Equis curul.* nec non apud Sponium tom. 3. Itin. pag. 24. a palma, candenti ferro, in omen fauſtum victoriæ, & palmarum inde quærendarum, armis equinis impreſſa, nominantur: non vero a Palmato Præf. urbi, uti Pancirolus lib. 2. theſ. var. lect. c. 257. neque a Palmatio quodam Cæſarienſi, temporibus Valeriani equorum locuplete, quæ Jac. Gothofredi ſenten-

tia eſt tom. III. C. Th. pag 411. Licet enim Reineſius ad Cl. I. Inſcript. 39. hujus opinioni, contra Nemeſiani illud; *palmæ nuper grex*, acceſſerit: major tamen apud me auctoritas eſt lamellæ vitreæ, apud Fabrettum ad tabellam Iliadis pag. 340. in qua palmæ ramus equi jugalis coſtæ inuſtus cernitur: ab eo igitur equi nomen tulerunt, ſicut peregrini Hieroſolymitani, cum ramis palmarum in patriam redeuntes, *palmarii* vel *palmati* dicuntur in Chron. Urſperg. & apud Albertum Stadenſem A. 1104. Nec aliam ob cauſam, donum, quod clientes Romæ, peracta cauſa, Advocatis pro victoria promittebant, *palmarium* appellavit Antoninus Imperator, apud Ulpianum in *l.* 1. §. 12. *D. de Extraord. cognit.* quam quia præ foribus Advocatorum, qui victoriam in foro obtinuiſſent, virides palmæ figebantur, ut ex Lucani Panegyrico in Piſonem, Juvenale ſat. VII. vſ 118 & Martiale lib. VII. Epigr. 27. notiſſimum eſt. Quod ſi vero aliquis cauſam a me requirat, cur omnes pæne gentes, velut ex compacto, in ſymbola hujuſmodi conſpirarint, non aliam habeo, quam quod illa de manu in manum tradita ſunt a populis Orientalibus, qui, ea quæ vellent, non verbis modo, ſed actionibus expreſſere; ut ex pluribus ſacrorum ſcriptorum locis Vir Cl. Joh. Clericus probavit ad Geneſ. c. 32. vſ. 24. & Nehem. c. V. vſ. 13.

vſ. 13. Sic cum poſt diluvium, orbe reparato, columba, folium olivæ portans, pacis nuncia fuiſſet Geneſ. VIII. vſ 11. atque Oriens, & inprimis Judæa, a palmis, quarum ferax erat, ſymbola ſumſiſſet, mox cultiores gentes, in rituali Judæorum, Ægyptiorum vel Pythagoræ ſchola imbutæ, illa deinde per commercia, migrationes & imperia lata, quæ vulgo Monarchiæ dicuntur, ubivis propagarunt, & crebro uſu effecerunt, ut in jus gentium univerſale tranſiiſſe viderentur. Diodorus idcirco lib. v. c 6. Siculos ſuos, ex commercio cum Græcis, horum *linguam & vitæ morem* docet induiſſe. Seneca in conſolat. ad Helviam c. 8. Hiſpanos in Corſicam olim tranſiiſſe, *ex ſimilitudine ritus*, probat: Raderus quoque ad illud Curtii lib. VIII. c. 3. *ne licentia barbara exemplar in Græcorum mores & mitia ingenia transferret*, multis oſtendit exemplis, nationes ex commercio aliarum nationum mores & ritus mutaſſe. Magis adhuc conformitatem ſymbolorum promovit diſperſio gentis Judaicæ, in Babyloniam, Aſſyriam, tandemque in totam Aſiam, Cyrenaicam, Macedoniam, Lycaoniam, Cyprum, Cretam, & in omnes deinceps orbis cogniti plagas; poſtquam Moſes diu ubivis, velut ſapientiſſimus legiſlator, fuerat celebratus, a viris ſapientia claris; quos inter Cappadox

Strabo, Siculus Diodorus, Dionyſius Longinus, Græcus; & Trogus Pompejus, Plinius, Juvenalis, Romani. Clarus etiam tantis animi dotibus Salomo, ut non modo Ægyptiis ſapientia præſtiſſe dicatur; ſed & Dei ipſiusmet ſententia, nemo cum eo exæquandus inter homines fuerit; quamobrem nomen ejus in omnes circumquaque gentes pervaſit, e æque ad audiendam ejus ſapientiam venere, 1 Regum III. 12. IV. 29. ſeqq. Maximus denique gradus ſcientiæ ſymbolicæ factus, per coloniarum deductiones, quas Gellius ſcite *parvas quaſi effigies & ſimulacra urbis matris* appellavit lib. XVI. Noct. Att. c. 13. Multas harum noſceremus, ſi extarent, quæ de Ægyptiorum coloniis commentatus eſt Iſtrus, auctore Conſtantino Them. lib. I. c. 15. Quam innumeras colonias Phœnices, & Tyrii, ab his oriundi, per Aſiam, Africam & Europam diſſeminarint, difficile eſt definire: quaſdam earum Salluſtius recenſet Jugurth. c. 19. alias Curtius lib. IV. c. 4. & Lucianus in Icaro-Menippo: reliquas Bochartus, in opere nunquam ſatis laudato, illuſtravit. Athenienſium quadraginta colonias Meurſius enumeravit, & Eraſmus Vindingius, in erudito opere, quod Hellen inſcribitur, de iiſdem egit tom. XI. Theſ. Gronov. Romani poſtremo, ubi vicerant, habitarunt. Lipſius in Italia ſola cen-

centum quinquaginta eorum colonias reperit: in Africa circiter ſexaginta: in Hiſpaniis ad triginta; paulo minus in Galliis; ex quibus de reliquo orbe judicari poteſt. Hæ vero non ſonum modo linguæ, veſtitum & habitum, ſed ante omnia mores, leges, & ſacrorum ritus, aliaque inſignia urbis matris ſincera & integra a contagione accolarum ſervabant; ut præter Livium lib. XXXVII. cap. 54. Silius Italicus docuit lib. XV. 171. de Maſſilia canens:

Antiquæ morem patriæ, cultumque, habitumque,
Phoſcais armiſonas inter tenet hoſpita gentes.

Hinc Plato lib. IV. de LL. colonos *gentem ſimilis ſermonis & ſimilium legum* vocat; Strabo lib. IV. pag. 1 9. Maſſilienſes, Phocæenſium colonos, *legibus uſos Ionicis*, tradit: in Carthaginis, Romanæ coloniæ, foro, Cyprianus, Carthaginienſis Epiſcopus, de gratia Dei, *inciſas leges duodecim tabulis*, laudavit; quæque id genus plura viri Doctiſſimi, Valeſius in not. ad Excerpta Polybii, & Spanhemius de Præſt. & uſu numiſm. diſſ. 9. adnotarunt. Faber lib. III. Semeſtr. c 14. *Ut plurimum juris gentium eſt, quod Romani juris eſt, unum communiter in Occidente receptum.*

Caput XV.

De cauſis Jurisprudentiæ ſymbolicæ.

JAm diu tacitis votis Lectorem meum exſpectare videor, ut plenius declarem, quid moverit prudentes legiſlatores, ut actus bona fide geſtos apparatu inutili ſolennitatum confirmandos eſſe voluerint: quum nihil tam congruum ſit naturali rationi, quam voluntatem domini, de re ſua in alium transferenda, ſolis & quibuſcunque verbis declaratam, ratam haberi; eaque valuerit ſemper inter omnes gentes ſententia, dum de judicio promittentis conſtaret, nihil eſſe æquius, quam ea, quæ inter contrahentes placuerunt, ſervari, §. 40. *Inſt. de Rer. div. l.* 1. *D. de Pactis.* In univerſum præmitti debet, voluntatem hominum aut verbis aut factis declarari: neutris vero, ſui natura, vim aliquid ſignificandi ineſſe, ſed ex impoſitione oriri, quod probabilem de animo alterius ideam formare poſſunt. Pomponius idcirco ait: *noſtra deſtinatione fundorum nomina, non natura, conſtitui*, in *l.* 24. §. 3. *D. de Legatis* 1. & Ariſtoteles libro περὶ ἑρμηνείας c. 4. voces non natura, ſed κατὰ συνθήκην, *ex inſtituto*, conceptum animi ſignificare, ipſaque nomina rerum nihil aliud,

quam

quam σύμβολα eſſe, docet. Hoc tantum intereſt; quod literæ, copulatæ in ſyllabas, voceſque lingua figuratæ, eum in finem inventæ ſunt, ut earum ſubſtantia in ſignificando conſiſteret: rebus autem & factis extrinſecus accidit, quod ſignorum & teſſerarum vice habentur. Priusquam ergo literæ inventæ eſſent, ipſa *neceſſitas* ſymbola qualiacunque comminiſci juſſit; primique mortalium ſenſus mentis per figuras animalium effinxerunt, ſive cum abſentibus aliquid agere, ſive monimenta rerum magni momenti, ad memoriam poſteritati prodere vellent: auctore Tacito lib. XI. Ann. c. 14. & Lucano lib. III. Pharſ.

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris,
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, & ſaxis tantum volucreſque feræque
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

Deinde vero *utilitas* ſymbola, ſemel recepta & exculta, retineri ſuaſit, poſtquam admirando Dei beneficio, homines didicerant, ſenſa animi per ſcripturam exprimere, & quaſi ἐκ συνθήκης *placuit, non minus valere, quod ſcriptura, quam quod vocibus lingua figuratis ſignificaretur*, ut Paulus pulchre philoſophatur in *l.* 38. *D. de Obl. & act.* Utilitas autem illa tribus præcipue innititur fundamentis. *Primum* enim

ſimplex vulgus, uſu ſymbolorum diuturno, eo ſuperſtitionis proceſſerat, nihil ut ratum firmumque haberent, niſi quod ritibus externis eſſet expeditum, nec quod alterius ſit, ſuum fieri poſſe, niſi rem manu tenerent, aut ſi ab ea abeſſent, traditio ficta, per feſtucam, glebam aliudve ſymbolum perficeretur. Exemplo ſit populus Romanus, qui recentia & nova faſtidiens, vetera extollebat, ſive malignitate humana, ſive delectatione quadam auſteræ & rancidæ antiquitatis, ut Tacitus plus ſemel in eo notavit lib. 11. Annal. fin & de Orat. c. 18. Frequens omnium in ore erat Ennianum illud: *Moribus antiqueis*, quod Plautus etiam ſuum fecit Trinum. Act. 11. ſc. 2. vſ. 16. & Capt. act. 1. ſc. 1. vſ. 37. qui & in prologo Caſinæ ait: *Antiqua opera & verba cum vobis placent.* Optime Horatius lib. 11. Epiſt. 1.

Sic fautor veterum, ut Tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri ſanxerunt, fœdera Regum
Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis,
Pontificum libros. annoſa volumina vatum
Dictitet Albano Muſas in monte locutas.

Juriſconſulti igitur, hanc populi perſuaſionem ridiculam in rem ſuam convertentes, veteres ritus, per ſe non neceſſarios, in uſu retinue-

tinuerunt, ut fierent ſemen publici boni. Prudenter enim exiſtimabant, ejuſmodi imbecillitatis adminicula, acceſſoria & παρακολουθήματα, dicis cauſa adhibita, nos quaſi in rem præſentem deducere, ac litium occaſione reciſa, efficere, ut occculta inconſtantiæ & diffidentiæ vitia latebris ſuis extrahantur, fides vero, commune ſocietatis humanæ præſidium, in placitorum conſtantia & veritate conſiſtens, arctius adſtringatur. *Plus in negotiis gerendis res, quam verba proſunt*, ait Cicero Acad. quæſt. II. c. 2. & Quintilian. lib. IV. Inſt c. 2. *Multum confert adjecta veris credibilis rerum imago, quæ velut in rem præſentem perducere audientes videtur.* Præterea *ſecundo* non ſatis congruum videbatur ſocietati civili, quibuſvis actibus mentis, leviter indicatis, juris effectus tribuere: quoniam nimia pericula fortunis hominum imminerent, ſi unuſquiſque ex promiſſo nudo, quod nulla ex cauſa, vel ex oſtentatione, joco, aut voluntate parum conſiderata, proficiſci poteſt, ſtatim obligaretur. *Non ſpondet ille ſtatim, qui dixit, ſpondeo, ſi jocandi cauſa dixit*, ait Varro lib. V. de L. L. Sola quidem mens eſt, quæ videt, quæ audit, quæque decernit, cetera autem ſurda cœcaque ſunt & ratione carent: at mens ſenſuum potentia adjuvatur, nec oratione tantum ſimplici aut figura literarum, ſed

&

& verbis ſolennibus & factis voluntatem declarat. Hinc legislatores, qua pollebant ſapientia, formulas excogitarunt, quibus omnes actus, qua publici, qua privati, non temere, ſed rite & legitime perficerentur. Tales erant Manilii formulæ, quarum toties Varro meminit, de Re Ruſtica, quaſque Cicero lib 1. de Orat. cap 58. *Manilianas venalium vendundorum leges* appellavit. Harum tam ſcrupuloſa erat obſervatio, ut ne carnes quidem & ſues, niſi conceptis verbis, à laniis emerentur; neque mulctæ dictio aliter juſta eſſet, niſi in qua ovis maſculino genere efferretur, &, ſi bubus & ovibus ſimul, niſi oves prius, quam boves nominarentur, ut Plinius commemorat lib. XVIII. c. 3. Sic omnes dedicationes & conſecrationes verbis ſolennibus fiebant: dirarum & execrationum certa erat conceptio; etiam in ſtipulatione verba quæſita ſunt, non modo ut iis ſenſa mentis exprimerentur, ſed ut de præmeditato animo & judicii certitudine conſtaret. Sed quia ſingulis formularum interpunctionibus & literis facile irrepere poterat error aut dolus, igitur Jurisconſulti, his non contenti, ſymbola rerum & actionum adjecerunt, aut longo uſu firmata excoluerunt. Qui enim & verbis & factis jus ſuum in alium tranſtulit, is duplici, quod adhibuit, animi attenti ſigno, libertati ſuæ omnino re-

nun-

nunciaſſe cenſendus eſt; præſertim, quia actus civium non ſunt in eorum poteſtate mera, ſed legi ſubjacent: hæc autem communis eſt ſponſio civitatis, & ſymbola eo fine conſtituit, aut approbavit, ut certum animi argumentum præberent, & *quod principio nuda voluntatis fuerat, converterent in mutuas præſtationes actioneſque civiles*, ut Pauli verba mea faciam in *l.* 17. §. 3. *D. Commodati.* Denique *tertio*, in actibus nonnullis gravioribus & duraturis, ut inaugurationibus Regum, nuptiis & adoptionibus, ſenſus hominum fallaces & tempore minus opportuno ſæpe vagantes, ad reverentiam vel attentionem ſunt excitandi; rerumque incorporalium imagines per ſigna corporalia, menti alte ſunt imprimendæ: quia veritas rerum geſtarum magis oculata fide, quam per aures animis infigitur. Auribus enim cum ſermone tantum commercium eſt, qui ſubinde vana, ſemper alata, ut Homerus ait, profert verba: eadem multis inſuper cavillationibus ſunt obnoxia, nec certitudinem mathematicam habent; inprimis ſi alter promiſſum inficiari non erubeſcat; ut Plautinus ille Cappadox in Curcul. Act. v. ſc. 3. 27.

---- qui promiſi lingua, eadem nunc nego,
Dicendi non perdendi gratia hæc nata eſt mihi.

At ſenſus oculorum acerrimus eſt, qui rebus ipſis intervenit, eaſque quodammodo in ſymbolis

bolis contrectat, adjuvante luce: ut Horatii curioſa felicitas expreſſit, de Arte poetica:

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis commiſſa fidelibus, & quæ
Subjicit ipſe ſibi ſpectator.

Idem ex Xenophonte, Philone, Joſepho & Cteſia Grotius illuſtrat ad Lucæ cap. 1. ℣. 2. Homeri, Virgilii & Ciceronis loca Alciatus laudavit lib. VI. Parerg. cap. 8. Alia Ferandus Adduenſis t. 2. theſ. jur. civ. pag. 598. alia rurſus attulerunt interpretes eruditi, in notis ad §. 9. l de Gradib. cognat. Nos unico Plauti teſtimonio contenti erimus, Trucul. Act. 2. ſc. 6. ℣. 6.

Non laudandus eſt, quoi plus credit, qui audit, quam qui videt:
Non placet, cum illi plus laudant, qui audiunt, quam qui vident
Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem:
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, plene ſciunt.

C A-

CAPUT XVI.

Fata ſymbolicæ Juriſprudentiæ Romanæ.

HÆ fere erant rationes generales, propter quas Romani, præter ſpeciales illas ſupra cap. x allatas, omnia negotia, qua publica, qua privata; ſacra & profana; domeſtica ac forenſia; ſive ſecum aliquid agerent, ſive cum aliis contraherent; ritu quodam ſolenni explicanda eſſe, arbitrati fuerunt. Quum enim Pontifices, initio reip. ſemel auctores fuiſſent, nil niſi cum apparatu quodam & more majorum ſuſcipi debere, res illa non populo tantum, ut in liberis ſolet rebus publicis, placuit vehementer, ſed mox ingenio Juriſconſultorum, & artificio Patronorum, clientibus ſuis caventium, in immenſum exivit, ut togatis nullus aut ſagatis modus fuerit & finis ſymbolorum. In Curia Senatores non voce tantum, ſed manu etiam & pede aſſentiebantur. In Comitiis Quirites per tabellas ſuffragia ferebant; Feciales haſtam in fines hoſtium jaciebant, bellum denunciantes. Judicia Centumviralia haſtis defixis exercebantur. Judex quæſtionis, dum publico judicio præ-

præerat, gladium manu tenebat. Omnes dignitates, magiſtratus, ordines & ætates ſuis inſignibus, Conſules faſcibus & ſecuribus, Senatores lato clavo, Equites anguſto; Centuriones vite, Milites cingulo; Cives toga, à ceteris erant diſtincti Alius habitus matronalis, alius meretricius, alius ancillaris, ab Ulpiano memoratur, in *l.* 15. §. 15. *D. de Injuriis.* qui & togam prætextam inter puerilia veſtimenta ponit in *l.* 23. §. 2. *D. de Auro arg. leg.* Et hæc quidem, omnium conſenſu, ipſa prudentia dictavit, ut diſcrimina dignitatum cuſtodirentur, quæ ſi confuſa & turbata ſunt, ipſa æqualitate nihil eſt inæqualius. Par autem, ſi non major, ceterorum eſt ratio. Quum enim in brevi illo XII. Tabularum libello, juris univerſi fonte, non omnia comprehenſa eſſent, modus negotiorum recte gerendorum præſcribendus erat à Juriſconſultis, ne res ſuas turbide agerent homines & effectu fruſtrarentur. Hinc tanta rituum religione fuit opus, ſi aut nova nupta conveniebat in manus mariti; aut filius e ſacris paternis dimittendus; vel ſervus libertate dandus eſſet. Hac propter tot ſolennitatibus implicandæ erant ultimæ voluntates, quarum *nimiam & miſeram diligentiam* Lucius Titius deteſtatur in *l.* 88. §. 17. *D. de Legatis lib.* 2. Neque hic finis. Eadem

dem fere diſtrahentium, quæ conſtituentium ſymbola erant, nihilque tam naturale videbatur eſſe, quam eo genere, quo negotium colligatum erat, in contrairum acto, illud diſſolvi *l.* 35. *D. de Reg. jur.* In divortiis diffarreatione & remancipatione opus erat; nunciaturi novum opus jactabant lapillum,& interrupturi uſucapionem ſurculum ex arbore defringebant. Non equidem diffiteor, quædam in umbris illis & imaginibus ludicra videri; quæ moroſum Catonis ſupercilium ferre non poſſint; nec intercedam, ſi cui vis feſtucaria & in jure manus conſertum, ad priſtinæ ſtupiditatis monumenta referenda videantur: pleraque tamen, pro temporum & reipublicæ ratione, ſatis fuerunt bona, etiam aliis gentibus uſurpata, tum quando his rebus, ut cibis, non ut condimentis utebantur. Haud inepte profecto Romulus, aquam & ignem, in contrahendis nuptiis, adhiberi voluit, ut conſortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio indicaretur, eumque morem inde ad ſua uſque tempora duraſſe, Dionyſius Halicarn. *lib.* 11. *cap.* 31. & Scævola in *l.* 66. §. 1. *D. de Donat. int. vir. & ux.* teſtantur. Putabant enim veteres Philoſophi, ex duobus his elementis oriri vitam, iiſdemque foveri, ut Varro tradit lib. IV. de L. L. & Feſtus: *Aqua & igni tam interdici ſolet damnatis,*

quam accipiunt nuptæ: *videlicet*, *quia hæ duæ res humanam vitam maxime continent.* Ovidius lib. IV. Faſtor. vſ. 787.

An quia cunctarum contraria ſemina rerum
Sunt duo, diſcordes ignis & unda dei;
Junxerunt elementa Patres; aptumque putarunt
Ignibus & ſparſa tangere corpus aqua?
An quod in his vitæ cauſa eſt; hac perdidit exul:
His nova fit conjux: hæc duo magna putant?

Non minus exquiſite ſymbolo clavium matrifamilias, domum ingredienti, pars poteſtatis & rei domeſticæ adminiſtrandæ, bonorumque diligens cuſtodia committebatur, unde κλειδοῦχος Græcis dicta, notante Heſychio, & Artemidorus lib. III. c. 54. clavem, in quiete viſam, uxoris fidæ & domiſedæ hieroglyphicum fuiſſe, tradit. Apud Romanos quoque veteres, quæ in manum conveniſſet, omnium bonorum poteſtatem & liberam adminiſtrationem habebat, exceptis clavibus cellæ vinariæ, teſte Athenæo lib. X. Deipnoſoph. cap. 12. & Plinio lib. XIV. cap. 9. ne alias ad uſum vetitum *vina tradita viderentur, cum claves cellæ vinariæ traditæ fuerint*, in re alia ait Paulus l. 1. §. 21. *D. de Acq. vel am. poſſ.* Poſtea quoque, ceſſante communione bonorum vera & propria, tamen *commixta erat familia & una domus, l.* 1. §. 15. *D. de Senat. Silan.* atque ideo uxor clavigera manebat. *arg.*

l. 77.

l. 77. §. 21. *D. de Legat. lib.* 2. hinc Tertullianus in exhort. ad caſtit. *claves cuſtodiendas*, ad curas uxorum retulit. Contra vero ademtio clavium divortii fuit ſymbolum, ſi uxor domo expellebatur. Cicero Philipp. 11. c. 28. *Illam res ſuas ſibi habere juſſit, ex duodecim tabulis, claves ademit, exegit.* Idemque moribus veterum Sueonum olim receptum fuiſſe, ex LL. Upland. cap. VI. §.3. docet Joh. Loccenius Antiq. Sueo-Goth. c. 24. Aliquando etiam uxores, curæ rerum domeſticarum renunciantes, in ſignum divortii, claves remittebant. Ambroſius epiſt. 65. *Mulier offenſa, claves remiſit, domum revertit.* Apud Gallos item, viduæ claves ſupra mariti corpus ſolent projicere, in ſignum, quod renuncient communioni bonorum, ne debitis exſolvendis teneantur; ut ex Conſuetudinibus municipalibus, probat Paſchaſius lib. IV. Diſquiſit. Franc. c. 10. Similem in modum reliqua Romanorum ſymbola pulcherrimis rationibus nituntur;eaque,velut totidem candidæ integritatis monumenta, tantum abeſt, ut vitio verti debeant, ut magis in literas referri, eorum memoriæ, ac laudis & poſteritatis interſit; quia inter ipſa murorum & legum cunabula ſunt inſtituta, tum quando literarum & civilis prudentiæ lumen necdum iis affulſerat, ſed

Jura dabat populo, poſito modo Conſul aratro;
Paſcebatque ſuas ipſe Senator oves.

Hoc amplius demus licet, quædam eorum arida videri, & quaſi anſas non habentia; immo fuerint nonnulla ſenſu vacua, & obeſæ naris hominibus tantum apta: nolim tamen cum delicatis ea, ut inſcita & a gravitate gentis togatæ aliena, ludibrio haberi, aut ab imperitis barbarici & abſurditatis notam, hac ſola de cauſa, iis affingi, quod a ſeculi poſterioris & noſtri calliditate diſſident: quum alia ætas, aliam vitam alioſque mores poſtularit, & apte Strabo lib. VI. Geogr. Zaleucum laudet, *quod ſimplicius de commerciis conſtituit. Thurios autem, cum poſtea temporis ſubtilius extrema quæque ſectari & deſcribere conarentur, majorem quidem reportaſſe gloriam, ſed remp. habuiſſe vitioſiorem. Quippe bonis regi legibus non eos, qui in legibus omnem calumniæ locum volunt præcludere, ſed qui ſimpliciter poſitis legibus inſiſtunt.* Quemadmodum nulla eſt diſciplina, in qua non peccando diſcatur, & ſicut perfectiſſimum ſemper in inventione eſt ultimum, ſic correctionibus Romani ad ſummum pervenere. Primum enim *Juriſconſulti*, ut omnibus rebus intereſſent, & tanquam communia civitatis oracula adirentur, cives ſuos formulis potius, quam ſymbolis, longo uſu pervulgatis, in contractibus uti male-

bant

bant, & mediæ inprimis Juriſprudentiæ auctores, dum verborum magis, quam rerum ſolennitatem amabant, atque utilitate communi negotia metiebantur, multa juris capita in melius & æquius produxerunt. Hinc, miſſis ſtipulis aut manus datione antiqua, ubi in unam ſententiam convenerant paciſcentes, vaga placita in ſtipulationem, velut πανδέκτην quendam, transfundebant: *Quæ inter nos placuerunt, ea dare facere ſpondes? l 71. D. Pro ſoc. l. 134. §. 1. & fin. l. 140. pr. D. de V. O.* nihilque fuit frequentius, quam ut noviſſima inſtrumentorum parte, vinculi loco, infereretur, *Rogavit Titius, ſpoſpondit Mevius, l. 7. §. 12. D. de Pactis.* Deinde *Prætores*, annuis ſuis Edictis, multa quoque vana & otioſa exploſerunt. v. gr. auctor Edicti de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas, citra familiæ emancipationem, ſeptem teſtium ſignis contentus fuit §. 2. *Inſt. de Teſtam.* In formula hypothecaria Servius Prætor moleſtam ceſſionem in jure, aut fiduciæ contrahendæ neceſſitatem non requirit, ſed ex nudo pacto, & adverſus debitorem & contra tertium, judicium pollicetur, § 7. *Inſt. de Act.* Sic in edicto deperdito, de rei vindicatione, ritus remancipationis, jam a Plauto Rudente Act. IV. ſc. 3. & Cicerone pro Murena c. XII. deriſus, cum correptione glebæ, tanquam ſupervacuus, ne-

lectus eſſe videtur; quia ſolus Juſtinianus, ex regulis juris, aut ex Cajo ſuo, ejus tantum mentionem fecit in §. 1. *Inſt. de Act.* Innumera porro rudioris illius Juriſprudentiæ capita *lex Æbutia*, circa A. V. C. DXIII. vel, ſi Pighium ſequimur, A. DXX. correxit & reformavit; legis actionibus ad ſeculi illius genium & elegantiam magis compoſitis, ac colore tantum opacæ vetuſtatis retento. Hinc juris ille peritus, apud Gellium lib. xvi. Noct. Attic. cap. 10. quid eſſet proletarius, enarrare rogatus; *Ego vero*, inquit, *dicere atque interpretari hoc deberem, ſi jus Faunorum & Aboriginum didiciſſem. Sed enim quum proletarii & aſſidui, & ſanates, & vades, & ſubvades, & viginti quinque aſſes, & taliones furtorumque quæſtio cum lance & licio evanuerint, omniſque illa duodecim tabularum antiquitas, niſi in legis actionibus centumviralium cauſarum, lege Æbutia lata, conſopita ſit; ſtudium ſcientiamque ego præſtare debeo juris & legum vocumque earum, quibus utimur.* Poſtea, cum omnis legiſlatoria poteſtas à populo in *Principem* eſſet tranſlata, minime tot fictionibus, coloribus & rituum ambagibus, quibus Juriſconſulti & Prætores inviti hactenus uti debuerant, fuit opus, ſed primum Senatuſconſultis, deinde Conſtitutionibus, juris veteris rigor atque aſperitas, benigne temperabatur.

Sub

Sub libera republica, in nuptiis, ex Romuli inſtituto, nihil religioſius fuerat confarreationis vinculo; ſed Tiberii tempore, *omiſſa confarreandi adſuetudo, aut inter paucos retenta, pluresque ejus rei cauſſas adferebat; potiſſimam, penes incuriam virorum feminarumque. Accedere ipſius caremoniæ difficultates, quæ conſulto vitarentur, & quando exiret è jure patrio, qui id flaminium apiſceretur, quæque in manum flaminis conveniret. Ita medendum ſenatus decreto, aut lege; ſicut Auguſtus quædam, ex horrida illa antiquitate, ad præſentem uſum flexiſſet.* Taciti verba ſunt lib. IV. Annal. cap. 16. Nova deinceps Juriſprudentia effloruit ſub *Hadriano*, qui Numæ æmulus, & quaſi novus legiſlator, condito Edicto perpetuo, celebratur apud Victorem de Cæſaribus cap. 14. *Pace ad Orientem compoſita, Romam regreditur: ibi Græcorum more, ſeu Pompilii Numæ, caremonias, leges, gymnaſia, doctoreſque curare occœpit.* Liberius adhuc *Antonini* Impp. firmato ſatis principatu, jus civile ad æquitatem quandam & naturalem rationem redigere conati ſunt, ſpretis ſubtilitatibus & ſymbolorum apparatu, qui dicis cauſa, inſtar ritus domeſtici fere a paucis, more majorum, retinebatur. De Marco Antonino idem Aurelius c. 16. *Legum ambigua mire diſtincta, vadimoniorumque ſolenni remoto, denunciandæ litis, operien-*

daque ad diem commode jus introductum. De Severo & Antonino Caracalla Tertullianus in Apologet. c. 4. *Nonne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem & ſquallentem ſylvam legum, novis principalium reſcriptorum & edictorum ſecuribus runcatis & caditis? Nonne vaniſſimas Papias leges, quæ ante liberos ſuſcipi cogunt, quam Juliæ matrimonium contrahi; poſt tantæ auctoritatis ſenectutem, heri Severus, conſtantiſſimus Principum, excluſit?* Neque ideo, ruptis quodammodo ambagibus, tunc omnino neceſſe erat, pro tribunali Prætoris aut Proconſulis manumittere, neque lictoris præſentia deſiderabatur; & verba ſolennia, licet non dicta, ut dicta accipiebantur, l. 7. 8. & 23. *D. de Man. vind.* Majora decrementa ſymbolorum, ſub Conſtantino M. is enim mores populi Romani in melius vertere, atque ad pietatem & concordiam traducere enixe ſtuduit: *permulcens aſpera legum, Juſtitia æterna*, ut Publius Optatianus carm. 6. de eo cecinit. Is etiam teſtamenta parentum inter liberos valere juſſit; *etſi a futilitate verborum, vel ſolennitate juris inanis ſcriptura eſſe dicatur*, *l.* 1. *C. Th. de Fam. erc.* Juris item formulas pravas, aucupatione ſyllabarum inſidiantes, cunctorum actibus radicitus amputari præcepit in *l.* 1. *C. de Form. & impetr. ſubl.* Quo no-

nomine eum laudat Nazarius in Paneg. cap. 38. *Novæ leges regendis moribus & frangendis vitiis conſtitutæ: Veterum calumnioſæ ambages reciſæ, captandæ ſimplicitatis laqueos perdiderunt.* Ulterius progreſſi ſunt Auguſti ejus liberi, qui omnes actus legitimos, formulas & ſolennitates teſtamentarias, quarum imaginarius eſſet uſus, antiquarunt *l. 15. C. de Teſtam. l. 21. C. de Legatis.* mox Theodoſius junior & Valentinianus ſcrupuloſas actionum, nuptiarum, dotium, Donationum ſponſalitiarum formas & teſtamentum per æs & libram ſuſtulerunt, ut qualeſcunque ritus in his actibus ſufficere poſſent, id quod ex variis eorum legibus, Jacobus Gothofredus t. 1. C. Th. pag. 95. & 335. luculenter oſtendit. Poſtremo ſymbolis & formulis maxime infeſtus fuit Juſtinianus, indignum judicans, ob inanem obſervationem neglectam, irrita fieri negotia, quæ inter vivos aut mortis cauſa bona fide geſta eſſent, ideoque ea foro & imperio ſuo excedere juſſit, *l. 2. C. de Adopt. l. 6. C. de Emancipat. lib l. 37. C. de Donat.* ubi ipſa etiam, ex ſymbolis antiquis, uſu retenta *Verba ſuperflua, quæ in donationibus poni ſolebant, ſcilicet ſeſtertii, nummi unius, aſſium quatuor, penitus eſſe rejicienda cenſuit. Quid enim verbis opus eſt, quæ rerum effectus nullus ſequitur?* Quid multa? Vetuſtas non

pauca depravat, multa tollit. Signa vetera ſitu conſumuntur; veſtis omni ætati non convenit. Quem puerum vidiſti formoſum, hunc vides deformem in ſenecta: tertium ſeculum non videt eum hominem, quem vidit primum. Quin ipſæ leges quædam, opulentia civitatis, quaſi fluctibus quibuſdam exæſtuantis, ſenio emortuæ feruntur, apud Gellium lib. II. cap. 24. lib. xx. cap. I. & Macrobium lib. II. Saturn. c. 13. neque novum fuerit, ſi mores etiam & ritus, tacito quodam & illiterato conſenſu, ſunt ex uſu ſublati, vel, cum ſatietas eorum cœpiſſet, in alia cautionum genera tranſierunt. Horat. de arte Poët. vſ. 68.

---- mortalia facta peribunt,
Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus;
Quem penes arbitrium eſt & jus & norma loquendi.

CAPUT XVII.

Judicia quædam Ciceronis, Senecæ, & Plutarchi de ſymbolis excuſſa.

FInivi generalia Juriſprudentiæ ſymbolicæ, niſi placet judicia addi virorum magnorum,

rum, & juvabit, eorum examine inſtituto, percepiſſe, utrum jus novum antiquo antecellat, & quid in univerſum de ſymbolorum uſu & abuſu ſit habendum. Minus ſane graviter Cicero pro Murena cap. 12. & 13. omnem illum rituum & formularum ornatum, velut contemtum & abjectum ridet, totamque Juriſconſultorum ſcientiam ex rebus fucatis, commentitiis, & prudentiæ inaniſſimis, fraudis vero & ſtultitiæ pleniſſimis, conſtare criminatur: quæ apud barbatos jam ridicula viſa fuerint, neque extra Romam uſquam, neque Romæ, rebus prolatis, quicquam valuiſſent. Nolo ad ſingula reſpondere: unum illud nobis pariter, ac olim Servio Sulpicio, ſufficiet, quod Plutarchus tom. 2. pag. 796. refert, Tullium hac oratione riſum moviſſe judicibus, Catonem vero adſtantem dixiſſe: *Dii boni! quam ridiculum Conſulem habemus.* Tempori præterea inſerviebat callidus Orator, ut Servio, Juriſconſultorum principi, invidiam moveret, & bene eſt, quod ipſe fatetur, totam illam orationem temporis fuiſſe, lib. IV. de Finib. c. 27. *Cum Murenam defenderem, apud imperitos tum illa dicta ſunt; aliquid etiam coronæ datum.* Alibi etiam, in oratione pro Cluentio cap. 50. *Errat vehementer*, inquit, *ſi quis in Orationibus noſtris, quas in judiciis habuimus, auctoritates noſtras*

con-

conſignatas ſe habere arbitratur. Omnes enim illa orationes cauſarum & temporum ſunt, non hominum ipſorum & patronorum. Nam ſi cauſa ipſa pro ſe loqui poſſent, nemo adhiberet Oratorem. Sed neque in totum falſum erat, quod Cicero dixit, juris ſcientiam prope totam ex rebus fictis conſtare; uti pulchris exemplis vir præclarus Gerh. Noodt docuit lib. 111. Probabil c. 12. Neque fructu caruit hæc invectiva, in juris nimios colores, commenta & formulas jucunde directa: mox enim multa inania, ab Imperatoribus & eorum Juriſconſultis πολιτικωτέροις abolita ſunt, quæ propter reipublicæ rationem & genium populi, ad cæremonias vel natum vel damnatum, nimiaque veneratione leges ſuas antiquas proſequentem, imaginibus & fictione otioſa, hactenus eludi debuerant. Sic qui, ſtante republica, erat rerum capitalium damnatus, non prius civitatem amittebat, quam in aliam eſſet receptus: invitus autem, ut ſolum verteret, nemo civium cogi poterat directe, tecto igitur, & aqua & igni ipſi cum quadam execratione interdicebatur, ut his elementis deſtitutus, ipſe, Urbe relicta, in aliam civitatem ſeu exilium ſe conferret, Cicero pro domo c. 29. & pro Cæcina c. 34. Auguſtus vero miſſis his ambagibus, exules, ne coirent & nova molirentur, in inſulam deportavit, Dio lib. 56. Sueton.

Sueton. lib. 2. c. 65. & late Briſſonius lib. III. Sel. ant. c. 5. Alterum inter contemtores ſymbolorum locum damus Senecæ, qui non modo lib. III. de benef. cap. 15. ſtipulationem & annulos ſignatorios *turpem humano generi fraudis ac nequitiæ publicæ confeſſionem* vocat, ſed etiam lib. VII. de benef. cap. 10. ſcribit: *Video iſtic diplomata, & Syngraphas, & cautiones: vacua habendi ſimulacra, umbras quaſdam avaritiæ laborantis, per quas decipiunt animam, inanium opinione gaudentem.* Audimus Philoſophum in diffidentiam & avaritiam temporis ſui ſplendide perorantem, ſed cujus ſapientia, velut indagine, teſtamenta & orbos capi, Italiam & provincias immenſo fœnere hauriri, Suillius apud Tacitum criminabatur lib. XIII. Annal. cap. 42. Magis ſane votum illud in Rep. Platonis, quam in fæce Romuli locum obtinere poterat; inſerviunt quippe tabulæ & ſolennitates iis actibus firmandis, qui malitiæ & cavillationi hominum ſunt obnoxii, neque ſymbola, ad conſenſum exprimendum inſtituta, aut verba ſolenniter pronunciata, vel in ſcripturam redacta, tam facile argutis interpretationibus detorqueri poſſunt, quam quæ vago ore pronunciantur. Hinc Perſæus, cum pecuniam mutuam amico daturus, ſolenni formula, & in foro apud argentarium, ſibi cautum vellet; iſte vero diligentiam

ligentiam ejus admirans, diceret, adeone legaliter Perſæe? Omnino; reſpondit, ut amice recipiam, neque jure experiundum ſit in repetendo, apud Plutarchum de vitioſo pudore cap. 15. Monſtro ſimile de Indis refert Strabo lib. xv. Geograph. pag. 709. *In legibus & contractibus maxime ſimplicitatem eo argui, quod non multum habent litium: nam neque commiſſi, neque depoſiti jura ulla habere, nec teſtibus uti, nec ſigillis, ſed ſimpliciter credere.* Succedat nunc tertius deſpectorum, Plutarchus, cujus verba, ex commentario, De his, qui ſero a num. pun. cap. 6. ſunt, quæ ſequuntur: *Eæ leges, quæ ab hominibus ponuntur, non ubique habent rationem eorum, quæ præcipiuntur, illuſtrem: immo quædam videntur omnino ridicula, ut quod Lacedamone Ephori, ſtatim ab inito magiſtratu edicunt, ne quis myſtacem alat: & ut legibus obtemperent, ne eæ ipſis ſint difficiles obſervatu. Romani, quos in libertatem vindicant, eorum corporibus ſtipulam tenuem injiciunt, & ubi teſtamentum condunt, alii ſcribuntur heredes, alii vendunt bona, quod videtur alienum a ratione: alieniſſimum illud Solonis, qui in ſeditione neutri ſe parti adjungentem ignominia notavit, & plane multa legum abſurda eſſe dixerit, qui auctoris mentem & cauſam ſcriptorum ſingulorum non cognoverit.* Non me fugit, veteres Juriſconſultos raro admodum per-

perſcrutari rationes eorum, quæ tanquam jus certum, per manus acceperant, & ſatis eſſe nonnunquam eis dicere, cum Juliano in *l* 20. *D. de Legibus*, non omnium, quæ a majoribus tradita ſunt, rationem reddi poſſe: vel cum Neratio in *l. ſeq.* 21. *de LL.* non uſque eo nos debere curioſos eſſe, ut ea conteſtim rejiciamus, quæ cur conſtituta ſint, pervidere non poſſumus, ne alioquin multa ex iis, quæ certa ſunt, ſubvertantur. Alios enim ritus neceſſitas conſtituerat, cujus circumſtantiæ erant ignotæ & ſepultæ; alios firmaverat longa conſuetudo, cujus initia, ab unius hominis facto ſæpe orta, propter defectum monumentorum aut negligentiam ſuperioris ætatis, exquiri non poterant: & vel ſola multitudo cauſarum, quas Plutarchus ſæpe adfert, in Quæſtionibus Romanis, ſatis arguit, nullam certam aut probabilem proferri poſſe, Minime autem ratio duorum ſymbolorum, apud hunc Philoſophum Chæronenſem, adeo obſcura eſſe videtur, ut cum Cl. Noodtio lib. 1. Obſ. c. 2. ad aſylum *l.* 20. nobis confugiendum ſit. Quod enim ad manumiſſionem per vindictam attinet, ea vel a Vindice ſervo, qui primus, pro præmio indicatæ conjurationis, publice a ſummo Magiſtratu, hoc ritu feſtucario manumiſſus erat, deſcendit, ut præter Livium lib. 11. cap.

cap. 5. ipſe Plutarchus in Poplicola cap. 10. ſcribit: *Perfecta & abſoluta libertatis donatio, his etiam temporibus ab illo Vindice, ſicuti ferunt, vindicta appellatur.* Vel potius, Conſul, Prætor aut horum nomine lictor, virgula tangens caput ſervi, eum jam ex ſervitute, manu & poteſtate domini miſſum, in libertatem Quiritium & jus civitatis Romanæ vindicabat, hac formula: *Ajo te liberum eſſe, jure Quiritium:* ſic enim Boëtius in Topic. Cicer. lib. 1. *Vindictam virgulam quandam fuiſſe*, ait, *quam lictor manumittendi ſervi capiti imponens, eum in libertatem vindicabat.* & Pomponius, in *l.* 2. §. 24. *D. d. O. J.* ſcribit: Brutum *vindicias ſecundum libertatem dixiſſe, in perſona Vindicis, Vitelliorum ſervi.* Litis autem vindiciarum ſymbolum erat κάρφος, ſtipula & feſtuca, qua ſervitus hic quaſi expellebatur, publica auctoritate, ut manumiſſus corpore & animo totus liber, ſuique juris factus eſſe ſignificaretur. Perſius Sat. v. vſ. 172.

——— *ſi totus & integer illinc*
Exieras, nec nunc, hic hic, quem quærimus hic eſt:
Non in feſtuca, lictor quam jactat ineptus.

Dici etiam poſſet, quod, in memoriam beneficii & capitis accepti, libertinus leviter virgula tactus fuerit, qui in poſterum a contu-

meliis

meliis verberum ſervilium immunis erat futurus. Hanc ſane cauſam indicare videtur Cicero pro Rabirio, perduellionis reo, cap 5. *An vero ſervos noſtros, horum ſuppliciorum omnium metu, dominorum benignitas una vindicta liberabit, nos à verberibus, ab unco?* &c. Optime Claudianus lib. IV. de Conſ. Honor. vſ. 612.

Te faſtos ineunte quater, ſolennia ludit
Omina libertas. deductum Vindice morem
Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat ſecurior ictu.
Triſtis conditio pulſata fronte recedit:
In civem rubuere genæ: tergoque removit
Verbera, permiſſi felix injuria voti.

Ad alteram quod attinet abſurditatem, Juri Romano impactam, non miror, hæſitaſſe Græcum Philoſophum, in ritu mere Romano, qualem Boëtius imaginariam illam venditionem recte vocat lib III. comment. in Topica Ciceronis: *quod jus proprium Romanorum eſt civium.* Cum enim priſci Romani, ex dictamine rectæ rationis, non cognoſcerent, quomodo ſalvis regulis, de transferendo rerum dominio, defendi poſſit, ut quis poſt mortem ſuam aliquid velle & diſponere inciperet, igitur primum calatis comitiis teſtamenta condiderunt, ut lex de ſucceſſione ab inteſtato contraria lege tolleretur; ſed quia lex Decem-

viralis cuivis conceſſerat teſtandi facultatem, multi vero inteſtati decedebant, quod mors nollet exſpectare tempora comitiorum, placuit teſtamentum fieri per æs & libram, cui, præter familiæ emancipationem, libripendem ac familiæ emtorem, quinque teſtes, cives Romani, puberes adhibebantur. Ulpian. *tit.* XX. §. 8. 9. Gell. *lib.* XV. *c.* 27. Poſtquam enim Prudentes in XII. Tabulis legiſſent: QUUM NEXUM FACIET MANCIPIUMQUE, UTI LINGUA NUNCUPASSIT, ITA JUS ESTO, commodum eſſe crediderunt, eodem modo hereditates transferri, quia lex mancipationis vocabulo omnem alienationem rerum mancipi complexa videretur *l.* 48. *D. de Pactis l.* 29. §. 1. *in fin. D. de Statulib* quamobrem Cicero lib. 1. de Orat. iſtud *uti lingua nuncupaſſit*, ad cauſam teſtamentariam referre non dubitavit. Initio quidem familiæ emtor idem, qui heres, fuiſſe videtur, ſed quia tam is, quam teſtator inſidiis heredipetarum exponebatur, utilitatis cauſa receptum eſt, familiæ emtorem ſubornari, qui dicis cauſa & imaginaria emtione patrimonium teſtatoris, per ſymbolum aliquod repræſentatum, uno nummo emeret, addita ſecreta lege, ut is, qui in tabulis clauſis heres ſcriptus eſſet, poſt mortem teſtatoris bona conſequeretur, ut optime & accurate, cum Theophilo, rem explicavit Vinnius

ad

ad §. 1. *Inſt. de Teſtam. ord. n.* 3. Exemplum habemus in Domitio, qui licet in teſtamento Auguſti, familiæ pecuniæque fuiſſet emtor, tamen parum de hereditate accepit, cum ne ſextula quidem fuerit adſperſus, Sueton. Neron. cap. 4. Quot quantæque inſidiatorum illorum Romæ fuerint artes, & prenſationes ſenum, orborum & vetularum, nemo ignorat, qui Horatium, Juvenalem, utrumque Senecam & Quintilianum legerit. Hinc tot cautiones & conſilia, ut ſine periculo illis vivere liceret, pro quorum ſalute ſoliciti erant, in §. 3. *Inſt. de Pupill. ſubſt. l. ult. D. ad SCt. Treb.* & *l.* 77. §. 24. *de Legat. lib.* 2. Feſtus: *Internecinum teſtamentum eſt, propter quod dominus ejus necatus eſt.* Vid. Merillium lib. IV. Obſ. cap. 39. & Ampliſſ. Bynkershoekium de captatoriis inſtit. cap. 2.

CAPUT XIX.

An recte Juſtinianus ſymbola antiquas fabulas appellarit?

SUpereſt, ut ad auctoritatem Juſtiniani reſpondeamus, quæ Jurisprudentiæ ſymbolicæ quam maxime moleſta eſſe videtur: is enim emancipationem liberorum legitimam

ſublaturus, non modo ita inchoat conſtitutionem novam, quæ in *l.6.C.de Emancipat.* reperitur: *Cum inſpeximus, in emancipationibus vanam obſervationem cuſtodiri, & venditiones in liberas perſonas figuratas, & circumductiones inextricabiles, & injurioſa rapiſmata, quorum nullus rationabilis invenitur exitus &c.* Sed etiam in §.3. *proœm. Inſtit.* felicitatem juris ſtudioſorum extollit, quibus prima legum cunabula, *non ab antiquis fabulis diſcere*, ſed ab Imperiali ſplendore appetere liceret. Quænam ſint illæ antiquæ fabulæ, ſæpe quæſitum eſt, & copioſe diſſeruerunt interpretes. Plerique, cum Theophilo, per eas jus vetus intelligunt, nam qui ea legunt, ait doctus paraphraſtes, quæ olim obtinebant, & nunc ab uſu rejecta ſunt, ſimiles videntur his, qui in fabulas incidere. Balduinus fabulas interpretatur traditiones incertas & falſas, quæ nec vera, nec veriſimilia continerent: quo ſenſu Cicero lib. III. in Verrem cap.78. *vetera pro fictis fabulis audiri & haberi* dixit. Galvanus ad Numam Pompilium adſcendit, qui fabulatus eſt, ſe leges ab Ægeria Nympha didiciſſe. Muretus delet *fabulis*, auctoritate quorundam librorum veterum. Longe veriſimilius, viri quidam eruditiſſimi, *Tabulis* legendum conjecerunt; quia pueri olim Romæ diſcebant XII. Tabulas, ut carmen neceſſarium,
&

& Sexti Ælii Tripertita, quibus velut cunabula juris complexus erat, præpoſitas habuerunt leges Decemvirales *l.* 2. §. 38. *de Orig. jur.* Sed magis eſt, ut cum Hubero lib 1. Obſervat. c. 4. credam, Imperatorem reſpexiſſe ad ſymbola, formulas, ceteraſque ſolennitatum ambages, fabulis ſceniciſque dramatibus ſimiles, quibus veterum Juriſconſultorum Inſtitutiones refertæ erant, ut vel ex Caji fragmentis, à Boëthio ſervatis, apparet. Nihil enim felicitatis in eo collocare potuiſſet Juſtinianus, quod Inſtitutiones ſuas daret pro duodecim tabulis; quas jam, Cicerone adulto, nemo diſcebat; & quarum verba ad ſeculum alienum retulerat Seneca, quibuſque jam diu renunciatum eſſe, Symmachus ſcribebat. Præterea tantum abeſt, ut deprimere voluerit Juſtinianus illum publici & privati juris fontem, ut ſæpe ad eum provocaverit, *pr. Inſt. de Suſp. tut.* §. 29. & 41. *de Rer. diviſ.* & veſtigia illius, ob ſimplicitatem legibus amicam, conſervaverit §. 3 *Inſt. de Legit. agnat. ſucc.* ejuſque reverentiam legum novitati anteponi voluerit *l. pen. C. de Legit. her.* Econtrario autem odium, ritibus imaginariis & ſolennibus, deſuetudine abolitis, indictum teſtatus eſt ubivis in §. 6. *Inſt. Quib. mod. jus patr. pot. ſolv. l. ult. C. de Donat. l. ult. C. de Adopt. l. ult. C. de Emancip.* inprimis vero in *l. un. C. de Nudo jure*

Quirit. ubi mancipationem per æs & libram, *antiquæ ſubtilitatis ludibrium* appellat, & *nomen juris Quiritium nihil ab ænigmate diſcrepare, nec unquam videri, nec in rebus apparere, ſed vacuum eſſe & ſuperfluum verbum, per quod animi juvenum, qui ad primam Legum veniunt audientiam, perterriti ex primis eorum cunabulis, inutiles legis antiquæ diſpoſitiones accipiunt.* Similem quoque in modum Paulus Apoſtolus vocum inania, & ſimulatam, non veram ſapientiam, βεβήλους καὶ γραώδεις μύθους, *profanas & aniles fabulas* vocat, 1 Tim. IV. ℣. 7. & ad Tit. I. ℣. 14. μύθους Ἰουδαϊκοὺς καὶ ἐντολὰς ἀνθρώπων, ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν, *fabulas Judaicas & præcepta hominum, averſantium veritatem.* Arnobius lib. III. Adv. gent. pag. 106. *Neque quiſquam Judaicas in hoc loco nobis opponat, & Sadducæi generis fabulas.* Ipſe Juſtinianus circuitus juris veteris *iteratas fabulas* appellavit, in *l.* 1. §. 1. *C. de Annali except.* Exemplum harum fabularum lepide riſit Cicero pro Murena cap. 12. & *iiſdem ineptiis fucata eſſe omnia* addit. Ut autem tandem plene intelligamus, an rectius Juſtinianus ſolennia negotiorum ſublatum iverit, an vero veteres JCti peccaverint, quod tot ambagibus res ſimplices involverunt, juvabit rem omnem ex iis, quæ ſupra ſparſim dicta ſunt, paucis repetiiſſe, antequam huic Exer-

Exercitationi finem imponamus; is enim juris progreſſus rem faciet apertam, uti in omnibus rebus magis perfectum eſt, quod ex omnibus ſuis partibus conſtat. Bene Cicero lib. IV. Tuſc. princ. monet, a primo urbis ortu & regiis inſtitutis, cæremoniarum Philoſophiam repetendam eſſe. Coiverant enim homines ex tot nationibus, lingua, moribus & cultu diverſi; magna adhæc, in ſeculo illo ἀναλφαβήτῳ, ſcribendi erat difficultas; quod ergo literis non poterant, id ſymbolis firmabant. *Raræ per eadem tempora literæ fuerunt*, ait Livius lib. VII. cap. 3. Legum ſcientia tum penes ſolos Patricios erat, quod hi fere ſoli in illis operam darent; promiſcua vero multitudo agriculturæ, commerciis & artificiis dedita, juris imperitia laborabat. Delecti ex illis controverſiarum arbitri, nil niſi inſtituta majorum & conſuetudines crepabant, quibus cives obtemperare neceſſe erat, ſi valide negotia ſua explicare vellent: *Mos majorum tum ut lex valebat*, ait Cicero lib. II. de LL. Latis deinde duodecim Tabulis, mox legis actiones compoſitæ ſunt; quas, ne populus prout vellet inſtitueret, Pontifices non modo *certas ſolenneſque* eſſe voluerunt, ſed etiam, obtinendæ & augendæ potentiæ ſuæ, *arcanas*, quo ita artibus Ariſtocraticis plebs deluderetur, auctore Pomponio *l.* 2. §. 6. *de Orig. jur.* Hinc

poſſet lege agi vel non, pauci ſciebant; dies ab illis, tanquam à Chaldæis erant petendi. Arrogationes & adoptiones, ob hereditatem ſacrorum, auctores poſcebant ſacerdotes: nuptiæ ſine Pontificum cæremoniis nec fieri, nec diſſolvi poterant: tumulus, non niſi injecta gleba, religioſus fiebat. Hi ergo aliique multi ritus ab illis ſunt conſtituti, quorum veræ rationes ex notitia juris Pontificii Romani peti debent. Poſtea cum Flavius, Appii ſcriba, has actiones pervulgaſſet, negotia maximarum rerum in Juriſconſultorum prudentia eſſe cœperunt: nam aderant multum in medio foro, & domi ſuæ adhibebantur in conſilium, ſi de filia elocanda, aut de fundo emendo ageretur. Nulli ritus exercendarum legis actionum in XII Tabulis erant præſcripti; quas ergo Pontifices, in rebus mere civilibus, nondum definiverant ſolennitates nexus, mancipii & vindiciarum, eas Prudentes aut conſtituerunt, aut fecerunt cultiores. Quemadmodum apud Hebræos Cabbala erat interpretatio divinæ legis non ſcripta; ita Romæ Media Juriſprudentia ſecretiorem quandam & non ſcriptam Legum Decemviralium explicationem per ritus & ſymbola inſtituit, additis notis & formulis, quibus inter ſe homines agitarent. Cicero cauſidicos idcirco præcones actionum, cantores formularum & aucupes ſyllabarum

vocat

vocat lib. 1. de Orat. & in orat. pro Murena cap. 12. queritur: *Cum permulta præclare legibus eſſent conſtituta, ea Jureconſultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata fuiſſe.* Verum etſi religio juris forte captioſa nimis aliquando & ſcrupuloſa fuerit, quoniam ejus prætermiſſio actus civiles vitiabat: tamen, Cujacii judicio, tolerabilior fuit, quam actionum confuſio, agendi temeritas & nullus ordo, ut ille ait, in parat. C. de Form. & impetrat. Idem de ſymbolis judicium ferendum eſſe, Petrus Nannius ſylloge v. Miſcell. cap. 5. ipſius emancipationis, quam Juſtinianus improbabat, exemplo eleganter demonſtravit; neque enim JCtis æquum fuit viſum, plus poſſe imaginariam venditionem, quam veram; ac proinde idem numerus, totidemque vices vendendi, emendi, & manumittendi, quamdiu ſtetit illa patrum majeſtas, obſervandæ videbantur. *Nihil* enim *in ſolennibus facile mutandum eſſe*, monuit Marcellus in *l.* 183. *de R. J.* & Julianus Imp. *Venientium*, inſit, *eſt temporum diſciplina, inſtare veteribus inſtitutis: ideoque, cum nihil per cauſam publicam intervenit, quæ diu ſervata ſunt, permanebunt*, in *l. un. C. Th. de Longa conſ.* Sed poſtquam humanior ætas rigidam illam patriam poteſtatem mitigavit, & Theodoſius irritam talem venditionem eſſe voluit, Juſtinianus etiam emancipatos cum ſuis

exæquavit, optime fecit optimus Imperator, quod rem evanidam, & tantum vocabulo nitentem, tot ſolennitatum ambagibus noluit amplius celebrari, quæ jam olim, cum cognitæ erant, varias pepererant difficultates, à Prætore in tit. *de Capite minutis* & *Quod cum eo qui* ſublatas, tunc vero imperitis drama ſcenicum repræſentare, *aut ab ænigmate nihil diſcrepare* videbantur, *l. un. C. de Nudo jure Quirit.* Ipſum Tribonianum ratio ſymboli fugit, quando in *d. l.* 6. *C.* in emancipationibus liberorum, *circumductiones inextricabiles & injurioſa rapiſmata*, vocat, *quorum nullus rationabilis exitus inveniatur.* At, ex lege Romuli, filiusfamilias erat, quaſi ſervus patris, ut Servius ad XII. Æneid. ſcribit; habebat peculium ut ſervus; eum noxæ dare, quin & occidere licebat: hoc ergo nexu ut ſolveretur, legi, ſi non revera, ſaltem φαντασίᾳ & *imagine juris*, ut Livius ait, lib. 41. c 8. ſatisfaciendum erat, nec poterat is emancipari, *niſi in imaginariam ſervilem cauſam* patris fiduciarii fuiſſet *deductus*, teſte Paulo in *l.* 3. §. 1. *D. de Capite minutis.* Quapropter toties fit mentio patris manumiſſoris, filii capitis minuti, & contractæ fiduciæ, in *l.* 28. *D. de Adopt. l.* 16. §. 1. *D. de Inoff. teſt. l.* 3. §. 4. *D. de SCto Maced. l.* 2. §. 15. *D. ad SCt. Tertull.* Filius etiam erat circumagendus, ut intelligeret, momento turbinis ſe *novum hominem* exire,

re, Perſ. ſat. v. vſ. 76. 78. *l.* 27. *D. de Adimend. vel transf. l.* 98. §. 8. *D. de Solut.* & abire poſſe, quo velit, ſecundum ſolennem manumiſſionis clauſulam, quam ex Plauti Menæchn. Act. v. ſc. 7. aliiſque Cujacius lib. XIV. Obſ. 27. Briſſonius lib. VIII. de form. & Bignonius ad form. Sirmondi 12. illuſtrarunt. Neque aliud ritu manumittendi poſterioris ævi, *quatuor viis oſtenſis*, vel *per portas patentes* indicabatur. *Nihil enim multum a ſpecie ſervientium differunt, quibus facultas non datur recedendi*, ait Venulejus in *l.* 2. *D. de Hom. lib. exhib.* Hinc etiam baptizandos ab Oriente in occidentem circumverſos eſſe, Merillius conjecit lib. III. Obſ cap. 3. De alaparum injuriis infra dicendi erit locus, & hæc, opinor, pro defenſione hujus ſymboli ſufficient. Plura dabunt Viri Clariſſimi, Georgius Beyer, in præfatione ad Brummeri opuſcula, & Joh. Gottlieb Heineccius, in diſerta oratione, de Jurisprudentia veterum Romanorum formularia, ubi in univerſum ſymbola Romanorum a cavillis & ludibrio obtrectatorum liberarunt. Atque ita omnino decebat Themidis ſacerdotes; niſi Deum Opt. Max. quod impium eſt cogitare, in republica legibus a ſe fundata, minus graviter luſiſſe; aut hodie populos moratiores, in inaugurationibus Regum; Reges, in creatione Equitum; Profeſſores in renunciationibus Do-

cto-

ctorum, hiſtrioniam agere, criminari velimus. Illud etiam addo, quod, licet antiquæ illæ fabulæ dudum agi deſierint, multa nihilominus in Pandectis & Codice earum lateant veſtigia, quæ ſagaciore nare ex his odorari debemus: & magis laudandus foret Tribonianus, dum ſpinis illis & ſentibus Jurisprudentiam liberare inſtituit, ſi earum aculeos & tribulos etiam e medio ſuſtuliſſet, vid. Balduinus lib. III. de Jure noviſſ. Sublatis enim ſolennibus, infinitæ remanſerunt locutiones, in fragmentis Juriſconſultorum aliorumque Auctorum ſcriptis, inde deſumtæ, quæ non niſi ex jure antiquo explicari poſſunt. Quis enim titulos Pandectarum *de Capite minutis* & *Si a parente quis manumiſſus ſit*, ſine hac luce, intelliget unquam? Quis percipiet *ſolennem juris ordinem* & *ludibria adoptionis* l. 4. 10. C. de Adopt. aut *celebritatem cum pompa nuptiarum* l. 22. C. de Nuptiis? Cui patebunt *ſolennitates decurſa*, quibus civitas Romana dari conſuevit? in *l. 2. C. de His qui in eccleſ.* aut *ſolennitates Conſulatus*, ſcelere Heracliani pollutæ, in *l. 13. C. Th. de Infirm. his.* Pulchra de hoc manumittendi ſervulos ritu, ominis boni cauſa inſtituto, Libanii & Sidonii loca attulit Petrus Faber lib. 11. Semeſtr. c. 20. Ammiani & Caſſiodori Jac. Gothofredus t. v. C. Th. pag. 416. quibus addendus eſt Joh. Fred. Gronovius

novius lib. 1. Obſ. cap. 21. ubi optime corrigit & interpretatur ſequentia Claudiani lib. 1. in Eutropium :

Candida pollutos comitatur curia faſces.
Forſitan & domini. Præbet miracula lictor,
Conſule nobilior, libertatemque daturus,
Qui nondum meruit.

Digitized by Google

EXERCITATIO II.

DE

SYMBOLIS,

a partibus corporis deſumtis.

Caput I.

De Nutu capitis; ad l. 52. §. pen. D. de Obligat.

DIuturnum nobis exercitium ſubeundum eſſet, ſi omnia ſymbola explicare vellemus: res enim infiniti foret laboris, nec anguſtis cancellis tot millenæ, omnis ætatis & gentis figuræ, quæ peculii inſtar creverunt & decreverunt, comprehendi poſſunt. Romanis ergo tantum & Germanicis potiſſimum immorabimur, exemplo Gemini Servilii, nobilis Romani, quem Ennius laudat, *Mores vetereſque novoſque tenentem.* Utraque vero eam

eam ſibi operam præ ceteris merito poſtulant: Roma enim legum, quibus in judicando utimur, mater, ſtudiorum magiſtra, omniſque elegantiæ domicilium fuit. Domeſtica vero eo magis in lucem ſunt proferenda, quo propius nos contingunt. *Amore patriæ*, ait Tullius in Oratore, *majorum noſtrorum inventa noſſe debemus.* Ut autem in horum potioribus enarrandis, ordine & via noſtra procedat tractatio, duas inprimis ſequemur ſymbolorum civilium claſſes generales; quorum alia, aliqualem cum re ſignata affinitatem habent naturalem, atque ideo apud pleroſque populos fuerunt uſitata: alia vero, rarius occurrentia, ex mero inſtituto ſunt, nec majorem cum re ſignata natura ſimilitudinem habent, quam Sinenſium notæ. Ad primam claſſem præcipue pertinent, quæ a partibus corporis humani petitæ ſunt, in quibus pulchre elucet, quod vulgo dicitur, artem naturam imitari. Hæc etiam quantum ſatis eſt materiæ huic Exercitationi præbebunt; quia apud pleraſque gentes, a capitis nutu, fronte, auribus, barba & capillis, a manibus pedibuſque jucundiſſima ſymbola depromta ſunt, quorum pars magna cotidie ante oculos verſantur, ut tamen pleroſque lateant eorum cauſæ. A capite exordiemur, quia, pars principalis eſt, unde cognoſcimur, ait Paulus in *l.* 44. §. 1. *D. de Religio-*

ligioſis. Jam vero ubivis, in tanta, per omnes gentes & nationes, linguarum & morum diverſitate, receptum eſt, ut capite modice inclinato annuatur, eodem in latera quaſſato abnuatur, ac tergo obverſo aliquid reſpuatur. Apud Romanos nutu poterat relinqui fideicommiſſum *l.* 21. *D. de Legat.* 3 delegari *l.* 1-. *D. de Novat.* aſſignari libertus *l.* 1. *D. de Aſſign. lib.* Mutus, auditus capax, ſolo nutu poterat ſignificare, ſe adire hereditatem, vel dotem accipere, *l.* 65. §. 3. *D. ad SCt. Treb. l* 73 *D. de Jure dot.* quæque id genus plura Guil. Fornerius lib. 1. Select. c. 3. & ex eo Foppius ab Æzema lib. 11. diſſert. jur. civ. cap. 26. annotarunt. Generaliter Modeſtinus in *l.* 52. §. *pen. D. de Oblig. & act.* inquit: *Nudus conſenſus ſufficit obligationi, quamvis verbis hoc exprimi poſſit, ſed & nutu ſolo pleraque conſiſtunt.* Sententia ejus hæc eſt, ubi nudus, id eſt ſolus conſenſus ſufficit, neque rei traditio, neque mancipatio, neque verba ſolennia, aut ſcripturæ proprietas requiritur, ſed nudo a verbis conſenſu mentem exprimere poſſumus, ibi ſolo nutu, non tantum contractus, ſed & alia pleraque conſiſtere. *Voluntas enim hominum non tantum voce ſignata eſt, an vero ſi manu promiſiſſet, an vultu annuiſſet, dediſſe fidem & confirmaſſe ſpem videretur.*? ait Quintilian decl. 247. Cauſa eſt in promtu. Qua enim ratione verecundiæ, admi-

admirationis & indignationis motus noti ſunt omnibus; ut ſibilus ubivis gentium fuit ſignum contemtus, & naſus aduncus ſubdolæ irriſioni eſt dicatus, ſic nutus *naturalia verba omnium gentium* appellavit Auguſtinus lib. I. Confeſſ. c. 8. & P. Nigidius inde argumentum deſumſit, verba non poſitiva eſſe, ſed naturalia, apud Gellium lib. x. c. 4. *Quum annuimus*, inquit, *& abnuimus, motus quidam ille, vel capitis, vel oculorum, a natura rei, quam ſignificat, non abhorret.* Accedit, quod a capite initium capiunt ſenſus, interpretes & nuncii rerum; quodque Platonici in illa, tanquam in arce, animi ſedem eſſe crediderunt; & caput denique totam perſonam ejuſque ſtatum repræſentat: ſicut ridiculum caput, pro toto homine, Donatus in Andria accipi, obſervat. Apulejus de Dogmat. Platon. *Homo totus in capite & vultu eſt, namque prudentia & ſenſus omnes in illa parte continentur, cetera omnia capiti ancillantur.* Lactant. de Opif. Dei c. 8. *In ſummo capite collocata, tanquam in arce, ſublimis ſpeculatur omnia, & contuetur.* Ambroſius Hexaem. lib. VI. c. 9. *Quid ſine capite eſt homo, cum totus in capite ſit? Cum caput videris, hominem agnoſcis, ſi caput deſit, nulla agnitio eſſe poteſt, jacet truncus ignobilis ſine honore, ſine nomine. Solo are fuſa Principum capita & ducti vultus*

de ære, *vel de marmore*, *ab hominibus adorantur.* In omnibus certe actionibus noſtris dominatur inprimis vultus, eo lætamur, & contriſtamur, honoramus vel contemnimus; hortamur aut minamur; hunc homines ſpectant & intuentur, etiam antequam dicamus: *hoc plurima intelligimus*, *hic eſt ſæpe pro omnibus verbis*, ait Quintil. XI. Inſt. c. 3. & Plinius lib. XI. cap. 37. *In ſuperciliis pars animi*, *negamus*, *annuimus.* Amantibus maxime ampla ſemper ex nutu ſymbolorum materia fuit, κατὰ συνθήκην. *Nutet*, *nictet*, *annuat*, verba amoris ſunt apud Plautum. Ovidius & Tibullus nutus illos loquaces *compoſitas notas* appellarunt. *Nutu ſigniſque loquuntur*, ille canit lib. IV. Met. fab. 4. & alibi *verbaque vultus habet*, lib. I. de Arte vſ. 574. Apud quoſdam Æthiopum, nutus motuſque membrorum pro ſermone fuiſſe, Plinius tradit lib. VI. H. N. c. 30. & Petrus Martyr, hujuſmodi ſilveſtres homines in Hiſpaniola repertos, teſtatur. Cultioribus Græcis vero quam maxime arriſit hoc Nutus ſymbolum. Ipſe Jupiter Thetidi fidem dat nutu, apud Poëtam Il. A. nec unquam mutatum iri, ait, quod capite annuiſſet: ὅ τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω. Quinimo tanta vis nutui ineſſe viſa fuit, ut eum enixæ voluntatis ſymbolum conſtituerint, ſicut Romani ſtipulationem: id quod Emundus Merillius lib.

IV.

IV. Obſ. c. I. ex Photii Bibliotheca & Suida in Ἑλληνικὸν docuit, qui Græcanicum nutum a nutu aliarum gentium differre, & præſtantiorem eſſe, ſcripſit. Nititur autem Suidas auctoritate Ariſtophanis in Acharn. act. I. ſc. 3. ℣. 115. Ἑλληνικὸν ἐπένευσαν ἄνδρες ὑτοιί, *Græco more annuerunt viri*, velut ſigno peculiari enixæ voluntatis. Ἑλληνικὸν eſt, quod Græcis in more eſt poſitum, ut Philoſtratus de vitis Sophiſtarum lib. II. in vita Adriani n. 3. ἑλληνικον σκρίτημα, ſaltationi barbarorum opponit, quia *commode ſaltare* in laude fuit apud Græcos, auctore Nepote in præfat. Sic etiam, qui vere aliquid facturi erant, ritu Græciæ proprio, ſancte id ſpondebant, capite annuentes; unde Alexis Comicus ſoli nutui vires jurisjurandi dedit: Ὅρκος βέβαιός ἐστιν, ἂν κατανεύσω μόνον: *Nutus mei pro jurejurando valent*. Addo etiam Laertium lib. VII. n. 66. ubi percunctationem eſſe dicit, ad quam, συμβολικῶς ὐκ ἔστιν ἀποκρίνεσθαι, *nutu geſtuque reſpondere non poſſumus*, ſicut ad interrogationem. Lepidum vero exemplum obligationis invalidæ, ex nutu dormientis Aponii Saturnini, habet Suetonius Calig. c 38.

Caput II.

De Fronte, pudoris ſede. Ad l. 13. D. de Teſtibus & l. 17. C. de Pœnis.

NEmo ignorat, quod ſymbolica vetuſtas virtutes Deas cauſas habuit virtutum illarum, quas in hominibus ſuſpicimus; quodque Phyſici ſingula membra corporis humani ſingulis numinibus ridicule conſecrarunt: caput Jovi, Neptuno pectus, cinctum Marti, oculos Cupidini, ſupercilia Junoni, frontem Genio, aurem Memoriæ, dorſum Plutoni, dextram Fidei, digitos Minervæ, genua Miſericordiæ & Mercurio pedes; non aliter, ac ſi Dii ſingulares ſui partes, cum homine communicatas, tutelæ ſuæ proprias vindicarint, ſicut Tiberianus in Prometheo refert, & Hadrianus Junius lib. IV. Animadv. c. 12. ex priſcis utriuſque linguæ Auctoribus, tam copioſe illuſtravit, ut otioſæ diligentiæ fuerit, illis diu immorari. Ne tamen aſymboli videamur, ſpicilegium quoddam eorum, quæ maxime ad ſacra noſtra faciunt, adjiciemus. A fronte ſit initium; quæ hominum triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ & ſeveritatis eſt index, quia hac parte animus ſe maxime prodit; *in*

animo

animo ſenſus ejus, ait Plinius lib. XI. c. 37. Genio & pudori eam conſecratam eſſe, Servius tradit ad lib. III. Æneid. ℣. 607. Unde venerantes deum tangebant frontem, & Pudicitia in nummo Fauſtinæ junioris frontem tegit; quia id muliebri verecundiæ convenit. Hinc etiam ex lege Remmia frons Kalumniatorum, falſa crimina intendentium, prima litera ſui nominis, ferro candente inurebatur, ut ſuo ſe proderent titulo & damno pudoris diſcerent, ſibi alienæ verecundiæ impune inſidiari non licere. Loquitur de hac pœna Cicero pro Roſcio Amer. cap. 20. *Literam illam, cui vos uſque eo inimici eſtis, ut omnes oderitis, vehementer ad caput affigent.* Alludit quoque eleganter ad eam Papinianus in *l.* 13. *D. de Teſtibus*, integræ frontis hominem figurate ponens, pro homine integræ famæ, opinionis, dignitatis; non duræ, ſed teneræ frontis, quæ pudoris templum. Verba ejus: *Quæſitum ſcio, an in publicis judiciis calumniæ damnati teſtimonium, judicio publico, perhibere poſſunt? Sed neque lege Remmia prohibentur, & Julia lex de vi, & repetundarum, & peculatus, eos homines teſtimonium dicere non vetuerunt. Veruntamen quod Legibus omiſſum eſt, non omittetur religione judicantium: ad quorum officium pertinet ejus teſtimonii fidem, quod integræ frontis homo dixe-*

rit, *perpendere*. Inſignis Pighii eſt temeritas, tom. 11. Annalium pag. 485. quod in hac pariter, ac Marciani *l.* 1. §. 2. *D. ad Sct. Turpil.* pro *Remmia*, *Memmia* legendum eſſe, cum Hotmano, contendit; nam vetuſtiores Ciceronis Codices Remmiam quoque vocant, pro Roſcio cap 19. & Remmius quidam apud Tacitum legitur lib. 11. Annal cap. 68. ut de hujuſmodi familia Romana non valde dubitandum eſſe videatur. Haud felicius mentem Papiniani percepit Cujacius, in commentario, quando non per metaphoram, quemadmodum ceteri *inurere notam*, *maculam vel ignominiam* dixerunt, ſed proprie admodum, hominem integræ frontis hic opponi exiſtimat calumniatori literato, quaſi tempore Æmilii, lex Remmia adhuc viguerit, & a Conſtantino ProtoChriſtiano demum ſublata ſit, in *l.* 17. *C. de Pœnis*: quo facies, quæ ad ſimilitudinem cœleſtis pulchritudinis formata eſt, minime maculetur. Verum ſicut ratio illa perperam ex Geneſ. 1. ℣. 26. petita eſt: *Nemo enim ſimilitudinem illam æſtimet figura corporis: nam neque Deus humana forma eſt conſpicuus*, *neque humanum corpus refert Dei ſpeciem*, *ſed dicitur imago juxta mentem*, *rectricem animæ*, ait Philo de mundi opificio pag. 15. ita conſtitutio iſta de damnatis in metallum loquitur nominatim, recteque

que Jac. Gothofredus ad *l.* 2. *C. Th. de Pœnis* ſcribit, de pœna calumniatorum tollenda, ibi non agi, quippe jam dudum ſublata. Prætereo Suetonii loca lib. II. cap. 32. lib. VII. c. 8. l. VIII. c. 9. in quibus, utet in *l. ult C. de Calumn.* par periculum, flagella, fuſtes & exilium calumnioſis delatoribus dictata leguntur. Non etiam urgebo edictum Prætoris, quod infamia eos notat, qui, in judicio publico, calumniæ prævaricationisve cauſa, quid feciſſe judicati fuiſſent, *l.* 1. *D. de his qui not.* juncta *l.* 41. *C. Th. de Epiſcopis.* Nec denique abutar teſtimonio Quintiliani lib. I. Inſt. Orat. c. 4. ubi *Kappa*, ſuo tempore, *tantum in numero manſiſſe*, ait: nam *Koppa* legendum eſſe, viri eruditiſſimi, inprimis ille, cujus diſſertatio Palæographiæ Montfauconii pag. 569. adjecta eſt, oſtenderunt. Rem totam conficit Plinius in Paneg. ad Trajanum cap. 35. *Ereptum alienas pecunias eunt? perdant, quas habent: expellere penatibus geſtiunt? ſuis exturbentur; neque, ut antea exſanguem illam & ferream frontem nequidquam convulnerandam præbeant punctis, & notas ſuas rideant, ſed ſpectent paria præmio damna &c.* Eadem igitur argutia, ex vetuſto ritu deſumta, utitur Papinianus, qua Julianus, in Miſopog. pag. 360. Antiochenos alloquutus eſt, poſt illam Conſtantini legem: *Cappa deſideratis. Utinam Dii,*

cuſtodes hujus urbis, id vobis duplex largiantur, quoniam civitates finitimas calumnia vexaſtis. Optat illis duplex infligi K. K. non quod putarit, literas illas vere inurendas eſſe, aut quaſi ex lege Remmia duplex K impreſſum fuerit, *Kalumniæ Kauſa*, ut multi crediderunt: vel *Kalumniæ Kondemnatus* quod alii ex *l.* 3. *C. Hermog. de Calumn.* exſculpunt: ſed alterum K forſan reſpicit ad nomen Conſtantii, quem illi deſiderabant, alterum ad refricandam in memoria calumniæ pœnam, uſu ſublatam. Vid. Aleandr. ad Caj. lib. 1. Inſt. tit. 1. §. 3. Et hæc quidem ad *l.* 13. hactenus. Aliud inſcriptionis genus fuit, quo ſervorum fugitivorum, furum, ceterorumque in piſtrinis & ergaſtulis peſſimorum frontes, formula quadam ſolenne, puta, *Cave furem*, *cave à fugitivo*, notabantur. Cajus d. tit. 1. *indicia* vocat, *in facie*, *igne aut ferro impreſſa.* Ulpianus *notas* in *l.* 1. §. *fin. D. de Fugit.* Valerius Maximus lib. VI. c 8. ob infuſum atramentum, *inexpiabilem literarum notam*; Petronius cap. 103. *notum fugitivorum epigramma* appellarunt. Sed de hac frontis ſignandæ ratione, ſive pœnæ, ſive notitiæ cauſa, Græcis quoque paſſim in ſervos uſitata, quantum ſatis eſt alii, inter hos Lipſius lib. 11. Elect. cap. 15. & Lydius de re milit. lib. 1. c. 6. ex ſacris & profanis egerunt. Ad nos

quam

quam maxime pertinet, quod Bion, ab Antigono de parentibus interrogatus, patrem ſuum libertum fuiſſe, reſpondit, non habentem faciem, ἀλλὰ συγγραφὴν ἐπὶ τ͂ προσώπȣ, τ͂ τ͂ δεσπότȣ πικρίας σύμβολον. *ſed in facie ſcripturam, acerbiſſimi domini ſymbolum*, apud Diogenem Laertium lib. IV. c. 46. Mitiores vero domini brachio vel in alia corporis parte, characterem ſuum imprimebant, maxime Chriſtiani poſt Conſtantinum. Oppido enim placet Jacobi Sponii conjectura, in Miſcellan. erud. Antiq. pag. 300. ſervilem frontis contumeliam, poſt illam Codicis legem, ad collaria, aut laminas, æneas vel plumbeas, iis appenſas, tranſlatam fuiſſe: multas enim harum inſcriptiones adfert, tempora Chriſtiana redolentes, in quibus eſt: TENE. ME. QUIA. FUGI. ET REVOCA. ME. DOMINO MEO. BONIFACIO. LINARIO. quibus aliæ apud Mabillon. Itin. Ital. pag. 119. & Fabrettum cap. VII. Inſcript. pag. 522. jungi poſſunt. Quamvis autem *d. l.* 17. de ſtigmatiis his non loquatur; ratio tamen ejus generalis eſſe videbatur; cui accedebat, quod frontem Chriſtiani tunc temporis cruce ſignabant, & fidei ſignacula fronti oleo inſcribebant; quapropter alia removenda erant, ut frons libera totum Domini ſignum proferret. vid. Lactantius lib. IV. c. 27. Prudent. Cathemer. hymno VI. & Barth. lib. 43. Adverſ. c. 27.

C a p u t III.

De Aure, memoriæ ſymbolo. L. 21. *D. de Furtis illuſtrata.*

Aures apud pleraſque gentes Deæ Memoriæ ſacras fuiſſe, Servius tradit, ad Eclog. vi. ℣. 3. hæc vero eadem eſt, quæ Minerva, quaſi quædam Meminerva, cui idcirco Callidius Primus, in ſaxo Gruteri pag. 1061. n. 1. AVRES. ARGENTEAS ex voto ſolvit. Laurentius Pignorius ſymbolarum Epiſtol. 38. ipſas aures apud Paganos pro diis habitas fuiſſe, ſibi aliiſque nimis credulis perſuaſit, ex lapide Petruſiæ Probæ AVRIBUS B. D. D. aliquid dedicantis, apud Gruterum pag. 89. n. 6. Recte autem ipſi contradixit Reineſius epiſt. 19. ad Hofmannum pag. 51. licet perperam is legat MATRIBUS, contra marmoris, ab Urſato inſpecti, fidem. Optima eſt Gudii ſententia: *Auribus Bonæ Deæ Dicatos* eſſe uniones, ob votum a Dea exauditum: nam ſimiliter Alexander Severus, teſte Lampridio in ejus vita cap. 51. *duos uniones in auribus Veneris dicavit.* Ex lege Moſis auricula ſervi, ex ſententia fori addicti, poſtquam coram Magiſtratibus libertatem, qua frui poterat, recu-

recuſaverat, ad oſtium ſubula perforabatur, in memoriam perpetuæ, cui ſe ipſe manciparat, ſervitutis, Exodi xxi. vſ. 6. Deut. xv. vſ. 17. Pſalm. xl. vſ. 7. Aliter alii hunc ritum exponunt, uti videre licet apud Gatakerum lib. ii. Adverſ. cap. xi. & Dougtæum p. i. Analect. exc. 38. Verum quia ſervus talis, non niſi proximo jubilæo, aut morte domini libertatem ſperare poterat, veriſimile mihi videtur, in memoriam ſervitutis voluntariæ, hoc ſymbolum adhibitum fuiſſe, ut diſceret, ſe hiſce ædibus devotum, & domini dictis audientem eſſe debere. In ſacris gentilium myſteriis ſimiliter acubus & σφραγίσιν conſignabantur οἱ μεμυημένοι, & maxime quidem in auribus, in quibus hominis animum habitare, Xerxes apud Herodotum dixit lib vii. cap. 39. Meminit illius moris Philo, Epiphanius, Prudentius & Irenæus lib. i. c. 24. *Alii ex ipſis ſignant, cauteriantes ſuos diſcipulos, in poſterioribus partibus extantiæ dextræ auris.* Nec alia forſan ratio eſt, quare in manumiſſionibus ſervorum & emancipationibus filiorumfamilias, rapiſmata & alapæ intervenerunt, quam ut ſervi memores eſſent beneficii mutatæ conditionis, quod, *grande beneficinm* in *l. 1. pr. D. de Bonis libert.* & τὸ μέγιστον τῶν ἐν ἀνθρώποις ἀγαθῶν a Dionyſio Halicarnaſſenſe appellatur; filii vero honoris & liberalitatis, in ſe collatæ, memi-

meminiſſent §. 2. *Inſt. Per quas perſ. cuiq. l. 5. C. de Emancip. lib.* De alapis his liberatricibus multa habet Cujacius lib. v. Obſ. c. 13. Petrus Faber ad tit. de Orig. juris pag. 64. & Barthius ad Britonem Philipp. pag. 406. Nobis ſufficiet obſervaſſe, cur Juſtinianus in imaginaria liberorum manumiſſione *rapiſmata* illa *injurioſa* vocarit, in *l. ult. C. de Emancip. lib.* & ὕβρεις καὶ ῥαπισματα in Nov. 81. nimirum, quia libero homine nihil indignius eſt, quam os contumeliis præbere; tales autem fuerunt *alaparum contumeliæ*, ut Tertullianus vocat de Spectac. In ſervis contra *majoris pretii alapas* iſtas vocat Phædrus lib. 11. fab. 5. & quam *gratus* ipſis fuerit ille *ictus*, *quam felix injuria*, ex Claudiano ſupra vidimus. Equidem, Gregorius Nyſſenus orat. 3. in reſurr. Chriſti, magis laudat eorum fortunam, qui in Eccleſia ſuo tempore manumittebantur: *Servus manumittitur bono & humano Eccleſiæ præconio, non colaphis fœde in os, & plaga per plagam liberatus.* Alluſit tamen ad gaudentes ſervorum malas, Cœlius Sedulius lib. v. Carm. vſ. 103.

His alapis nobis libertas maxima plauſit.

Illud vero ad memoriæ ſymbolum referendum eſt inprimis, quod Græci inter teſtandum imam & carnoſam auris partem apprehendebant, quæ λοβὸς dicitur; quia huic, velut

velut memoriæ ſedi, committi credebant viſa & audita, ſicut ſemina folliculo, veluti vagina, clauduntur. Auctor Etymol. magn. Λοβοὶ λέγονται, ἐπειδὰν μαρτυρόμενοι τινα λαμβανόμεθα αὐτῶν. Muretus lib. XII. Var. lect. c. 5. refert, ſe vidiſſe veteres nummos, in quibus duo viri inſculpti erant, quorum unus alteri aurem vellebat: in orbem autem ſcriptum: ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ, id eſt memento. Rævardus quoque ad LL. XII. Tabb. c. 5. & Lipſius lib. IV. Epiſt. quæſt. 26. meminerunt lapilli, apud Guidonem Laurinum viſi, cui caput inſculptum, & manus atterens auriculam, cum eadem inſcriptione μνημόνευε. Sponius denique in Miſcellan. erud. antiq. pag. 297. duas repræſentat gemmas, in quibus manus aurem tenet; cum inſcriptione ΜΝΗΜΟΝΕΥΕΤΕ, in altera ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ ΤΗΣ ΚΑΛΗΣ ΤΥΧΗΣ, *Memento bonæ fortunæ*. Ex jure Attico fluxit deinde Romanorum anteſtatio, qua nihil eſt celebratius, in mancipationibus, cretionibus, nuptiis & teſtamentis, ut ex Plauto, Virgilio, Horatio, ejuſque interpretibus, quantum ſatis eſt, Sigonius lib. 1. de judic. c. 18. Briſſonius de form. lib. V. Carrion. lib. II. Emend. c. 13. aliique docuerunt. Unius Plinii nobis ſufficere poſſet auctoritas lib. XI. c. 45. *Eſt in aure ima memoriæ locus, quem tangentes anteſtamur*. Sed comitem ei dabo

Cle-

Clementem Alexandrinum lib. v. Stromat. pag. m. 574. ubi inter alia ad ἔννοιαν τ͂ συμβόλων referenda eſſe, ſcribit; *quæ a Romanis fiunt in teſtamentis: nempe libras & aſſes, & mancipationes & aurium contrectationes: illos quidem, ut juſte fiant: has autem ad honoris diviſionem: tertium vero ut qui incidiſſet, cum ei onus imponeretur, ſtans audiret & teneret locum interceſſoris.* Ex his etiam intelligemus, unde mos rogandi teſtes in teſtamento deſcendat: nam cum id olim fieret per æs & libram, mancipatio imaginaria intercedebat, auctore Ulpiano *tit.* xx. §. 2. in mancipatione vero anteſtatus rogabat teſtes, &, prehenſa auricula, eorum fidem obteſtabatur; at ſublatis his ſolennibus, ſubſtantia rogationis permanſit, ut ſeria magis voluntas teſtandi intelligeretur. *l.* 21. *§. pen. D. l.* 21. *C. de Teſtam.* Duplicem Ant. Auguſtini, Turnebi, ceterorumque circa anteſtatum errorem, quod teſtium hoc nomen eſſe, & aures anteſtati attrectari exiſtimabant, poſt Cujacium lib. vi. Obſ. c. 16. & Aleandrum ad Cajum lib. 1. tit. 6. Brummerus perſpicue refutavit ad L. Cinciam cap. 13. & 14. nam anteſtari nihil aliud eſt, quam ex circumſtantibus aliquem teſtem facere, & ante teſtari, quam negotium principale gereretur. Veriſimile autem eſt, Juriſconſultos, ex ritu vocandi in jus, hunc morem

rem mutuatos eſſe, & ad omnes alienationes rerum mancipi traxiſſe. Cum quis enim vadatus non pareret, ex præſcripto XII. Tabularum, manu injecta, duci in jus non poterat, niſi actor aliquem e præſentibus, quem teſtem cupiebat, rogaſſet, *licet anteſtari?* quo conceſſo, tangebat ejus auriculam, & adjecta voce *Memento* petebat, ut meminiſſet, alterum noluiſſe ſequi. Notiſſimum hoc eſt ex Horatii lib. 1. Sat. 9. vſ. 76 ubi Acron, ex Servio, magiſtro urbis, notat; morem fuiſſe, *ut aurem tertio vellerent.* ex aliis melius ſubjungit: *Solebant teſtium aures tenere, & ita dicere: Memento, quod tu mihi in illa cauſa teſtis eris; quod eſt anteſtari.* A Græcis autem Decemviri anteſtationem petierunt; nam Athenis ſi is, cui dica ſcripta erat, in jus vocabatur, κλητῆρες adeſſe debebant, auctore Demoſthene in Midiam & pro corona. Illuſtre ejus exemplum eſt apud Ariſtophanem in Veſpis vſ. 139. ubi Artopolis Chærephontem teſtem appellat:

Καὶ καταγελᾷς μου; προσκαλοῦμαί σ᾽, ὅς τις εἶ
Πρὸς τοὺς ἀγορανόμους, βλάβης τῶν φορτίων,
Κλητῆρ᾽ ἔχουσα χαιρεφῶντα τουτονί.

Ludos facis me: quin te ad Ædiles voco
In jus, onus qui affeceris damno meum:
At Chærephon citator anteſtabitur.

Ad ritum Romanorum alluſit Trebatius, quum

in *l.* 21. *pr. D. de Furtis* inquit: *qui aurem alicujus tetigit, totum eum videri tetigiſſe.* Sed an recte in re, de qua ibi agebatur, videamus. Vulgaris erat quæſtio, an is, qui ex acervo frumenti modium ſuſtulit, totius acervi furtum faceret, ejuſque duplum vel quadruplum pœnæ loco præſtare deberet, an vero ejus tantum, quod abſtuliſſet? Trebatius, cum Ofilio, totius acervi furem eſſe putabat, non ex ſententia Stoicorum, ut Merillius exiſtimabat lib. 11. Obſ. c. 5. quaſi omnia peccata ſint paria; nunquam enim illa à Juriſconſultis, in vita civili, probata eſt, neque Philoſophiam hoc evincere poſſe, ut tantundem peccet, qui teneros caules ex horto alieno decerpſerit, quam qui noctu ſacrilegium commiſerit, ait Horatius lib. 1. ſat. 3. vſ. 116. licet idem lib. 1. epiſt. 16. vſ. 55. ſecundum Stoicos, ad ſolum animum reſpiciens, ſcripſerit:

Nam de mille fabæ modiis cum ſurripis unum,
Damnum eſt, non facinus, mihi pacto lenius iſto.

Sed illud Trebatium movit, quod parte apprehenſa tota res contrectatur, ſicut aure alicujus tacta, totus homo monetur: *proinde,* pergit, *& qui dolium aperuit, & inde parvum vini abſtulit, non tantum ejus, quod abſtulit,*

lit, verum totius videtur fur eſſe, eadem ſcilicet ratione, qua idem Teſta, in libris de religionibus, quorum novem ſcripſiſſe fertur, putarat, ſi quid, ſacri faciundi cauſa, de dolio demeretur, totum dolium ſacrum fieri. Arnobius lib. VII. Adv. gentes pag. 236. *Opera pretium eſt, etiam verba ipſa depromere, quibus, cum vinum datur, uti, ac ſupplicare conſuetudo eſt. Mactus hoc inferio eſto. Inferio, inquit Trebatius, verbum ea cauſa eſt additum, eaque ratione profertur, ne vinum omne omnino, quod in cellis atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud, quod effunditur, promtum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex uſibus eripiatur humanis. Addito ergo hoc verbo, ſolum erit, quod inferetur, ſacrum, nec religione obligabitur ceterum.* Verum diſplicuit hæc Trebatii ſententia Ulpiano, unde illico eam corrigit verbis ſequentibus: *Sed verum eſt, in tantum eum actione furti teneri, quantum abſtulit*; mox vero Protei in modum mutatus, in §. 8. diſtinguit, utrum totum tolli potuerit, nec ne; denique in § *ult.* earum quoque rerum, quas quis non abſtulit, furti actionem concedit. Hoc diſſidium ut tolleretur, alii, cum gloſſa, ajunt intereſſe, inter jus ſtrictum & æquitatem: alii inter furem eſſe totius, & furti actione omnium rerum nomine teneri; alii in §. 8. Sabini ſententiam

referri, non probari. Verum diſtinguenda ſunt genera corporum ex *l.* 30 *D. de Uſurpat.* quæ enim uno ſpiritu continentur, ut homo, vel ex pluribus inter ſe cohærentibus connexa ſunt, ut navis, quantitatem habent continuam, adeoque, qui unam eorum partem attigit, totius poſſeſſionem intervertit. *l.* 21. §. 4. *l.* 22. *D. de Furt* res enim ſunt naturaliter indiviſæ, quæ intellectu magis, quam corpore, partes habent *l.* 26. §. *ult. D. de Legat. lib.* 1. *l.* 5. *D. de Stipulat. ſerv.* Quæ vero ex diſtantibus conſtant, ut acervus frumenti, & dolium vini, non totæ contrectantur, ſed pars tantum quæ aufertur, cetera vero in ſitu & ſubſtantia ſua durant. *d l.* 21. § 4. 5. *D. eod* Ad hanc diſtinctionem, inter quantitatem continuam & ſejunctam, variis in locis ab Ariſtotele traditam, cum non attenderet Trebatius, male hominem comparavit cum acervo frumenti: ſed quam imperitus is Dialecticæ fuerit, & quam parum Ariſtotelica, illo tempore, ipſis Philoſophis cognita fuerint, Ciceronis Topica, ad hunc Trebatium, ſcripta, ſatis oſtendunt. Ceterum, ut in viam revertamur, apud Germanos, aures teſtium molliter non vellicatæ, & tactæ, ſed tractæ, tortæ, immo alapæ inflictæ, quo firmius rudiores teſtimonii, a ſe editi, vel edendi, memoriam ſervarent. In lege Ripuar. tit. 60.

c. 1. *Unicuique de parvulis alapas donet, & torqueat auriculas, ut ei in poſtmodum teſtimonium præbeant.* Lex Bajoar. tit. 15. c. 2. *Ille teſtis per aurem debet eſſe tractus, quia ſic habet lex veſtra.* Male autem Matthæus in manud. ad jus Can. pag. 46. exiſtimavit, Belgis inſtrumenta authentica & teſtes inde *Oorconden* dici; & *Oorkonden*, teſtari: nam vox a Germanica *Uhrkund* deſcendit: *Ur* vero initium, terminum & extremum ſignificat, *urſprung, urtheile, urphede.* V. Hert. de lytro ſect. 2. §. 23 Non etiam ſatis ſcio, an idem Matthæus de probat. c. 7. recte fidem derogaverit Joanni van Hout, qui ex relatione ſenum quorundam tradidit, eundem Ripuariorum morem apud Belgas olim obtinuiſſe. Auctor enim magni Chronici Belg. ad A. 1247. ait, ſimilem ſuo tempore morem adhuc uſitatum fuiſſe: *Plerique moderni temporis, omiſſis ſumtuoſis ſolennitatibus, per infractum colaphum, militarem conſequuntur dignitatem.* Sero etiam, non tantum apud Bavaros, *per aurem attracti ſunt teſtes*, ut eſt in Chronico Reicherſbergenſi ad A. 1162. ſed & Germani dicunt hodie *einen denckzettel geben*, id eſt, alapam impingere, & ruſtici fines circumeuntes, in locis notatu dignioribus, leviter filios ſuos virga aut manu cædunt, adjicientes *Dencke daran:* ne facile ea

oblivioni tradant, quæ viderunt. Quinimo Baluzius, in notis ad Capitular. tom. II. pag. 997. ætate ſua, ait, parentes Gallos, in nonnullis provinciis liberos ſuos, ad locum ſupplicii facinoroſorum adductos, virgis cædere ſolitos, ut alieni periculi memoria excitati, noverint, ſe cautos & ſapientes eſſe debere. Nota etiam eſt Gallorum phraſis *ſe faire tirer l'oreille*, *pour dire quelque choſe.* Perperam vero du Frene in Gloſſario, voce *Alapa*, ceremoniam Germanorum, qua nobiles juvenes, ad dignitatem militarem pedeſtrem, impacta alapa, ad equeſtrem vero, ictu humeris gladio inflicto, promovebantur, a manumiſſionibus Romanorum per vindictam derivat; cum magis admonitio eſſet permiſſæ defenſionis privatæ, & præmii virtutis, in eos collati. Pejus Bohemiæ Rex, in inauguratione Wilhelmi, Comitis Hollandiæ, ad colaphos Chriſto impactos, ſymbolum illud retulit, apud Bekam in vita Ottonis III. pag. 77. cujus hæc ſunt verba: *His itaque dictis Rex Bohemiæ grandem dedit ictum in collo tironis, ita dicens: Ad honorem omnipotentis Dei, te militem ordino, ac in noſtro collegio te gratulanter accipio; & memento, quod Salvator mundi, coram Anna Pontifice, pro te colaphiſatus & illuſus eſt* &c. Forſan non errabit, ſi quis auris alterius vel utrius-

triusque abſciſſionem ad hanc quodammodo claſſem retulerit, quæ legibus Perſarum, Macedonum, Gallorum & Germanorum facinoroſis fuit dictata, non tantum quia poſt aurem dextram Nemeſi ſedem aſſignavit antiquitas, auctore Plinio lib. XI. Nat. hiſt. c. 45 vel ut reliquis eſſent documento, & magnitudine pœnæ perterrerent alios, ut Cæſar ait lib. VII. de Bello Gall. c. 4. ſed ut ipſi etiam ignominia ſic affecti, a ſceleribus abſtinerent, certo ſcientes, ſi rurſus deliquerint, ſe extremum ſupplicium paſſuros. Vide Langlæum lib. x. Semeſtr. c. 2. Illud non omittam, quod Ariſtoteles lib. I. Hiſt. animal. c. 9. & Plinius lib. XI. cap. 52. auricularum magnitudinem, loquacitatis & ſtultitiæ notam appellarunt; præſertim ſi mobiles ſint, & more jumentorum pro arbitrio agitentur. Talis habitu hominem ſua ætate ſe vidiſſe, ſcribit Auguſtinus lib. XIV. de Civit Dei cap. 24. Tali etiam fuit Juſtinianus, quem ideo *lento ſimillimum aſino* Procopius vocat, in Hiſt. arc. pag. 36. & Aurindelinus, regis Friſiæ nepos, *Rex Eſeloor* cognominatus, apud Joh. de Leidis Chron. Holl. lib. I. c. 12. Neſciebat Matthæus Raderus, quid vox illa notaret, quam Chronicon Alexandrinum pag. 780. refert, Juſtiniano occlamatam eſſe, cum ad ſedandam

Praſinorum ſeditionem, occupato tribunali, juraret, ſe populo hanc offenſam remiſſurum: dicax enim & inſana plebs ei conviciabatur ἄλλοι δὲ ἕκαςον, ἐπιορκεῖς Σγαῦδαρι, *pejeras Sgaudari*. Nicolaus Alemannus in notis ad Procop. pag. 27. legit Γαύδαρε, ſive Γαυδάρη, id eſt *Aſine*. Sed cum neutiquam ita hanc vocem elatam inveniret du Frene, is in Gloſſario Græco, voce ἀείδαρος, potius legendum cenſuit γαΐδαρε vel γάδαρε, quæ vox in Gloſſis & fabulis Æſopi Græco-Barbaris pro aſino ſumitur. Thomas vero Reineſius, cum lib. 11. Var. lect. c. 17. ſeſe in hoc convicio explicando fruſtra torſiſſet, in addendis pag. 685. ab inſula Caudo, quæ maximos onagros quondam producebat, illud deſumtum eſſe auguratur: ſed Frenii ſententia verior mihi videtur.

Caput IV.

De Capillis varias ob cauſas olim ſubmiſſis vel detonſis, ad l. 15. §. 27. & l. 39. D. de injur.

Ab auribus ad capillos pergimus, qui varia ſexus, gaudii, mœroris, libertatis, ſervitutis, virginitatis & infamiæ ſymbola præbuerunt, ſive cæſariem virorum, ſive comam

comam mulierum ſpectes. Corinthios, Paulus Apoſtolus tradit, ipſam naturam docuiſſe, viro turpe eſſe comam alere, mulieri vero comam pro velamine datam 1 Corinth. XI. vſ. 14 15. nam ſecundum conſuetudinem illius gentis, quæ quaſi in ipſam naturam tranſierat, juvenes comati, atque inter pectinem & ſpeculum occupati, cinædi eſſe credebantur; quum reliquis etiam Græcis in more poſitum, ut feminæ comam alerent, viri ex diverſo reſecarent, auctore Plutarcho in problem. Romæ pueri ferè comati, ſed viri, deciſis hinc inde capillis, circumtonſi, adeo ut Honorius *majores crines*, etiam in ſervis prohibuerit, quia is habitus luxurioſorum, militantium & barbarorum eſſe videbatur *l.* 4. *C. Th. de habitu, quo uti oport.* ſervi vero ſemiraſi, manumiſſi raſi, imitatione Græcorum, de quibus Suidas in *ἀνδραποδώδη τρίχα* & feſtiviſſimus Plautus Amphitr. Act. 1. ſc. 1. vſ. 306. *Ut ego hic hodie raſo capite calvus capiam pilcum.* In Latio eum in finem adibatur Junonis Feroniæ templum: *Hæc enim libertorum dea eſt, in cujus templo raſo capite pileum accipiebant, ſedili lapideo impoſiti, in quo hic verſus inciſus erat:* Benemeriti servi sedeant, surgant liberi, ut Servius ait ad lib. VIII. Æneid. vſ. 564. Cauſa ejus rei fuit, quod

ſordes ſervilis & abjecti pili prius deponendæ erant, quam pileus, receptæ libertatis inſigne, capiti imponeretur. Cui alia addi poteſt, quam adfert Nonius: *Qui liberi fiebant ea cauſa calvi erant, quod tempeſtatem ſervitutis videbantur effugere, ut naufragio liberati ſolent.* Qui enim ex naufragio ſervati,vel e morbo periculoſo convaluerant, aut aliud quodcunque grave periculum evaſerant, lætitiæ cauſa ſolebant capillos radere, ut docet Lucianus in Hermotimo, Artemidor. lib. 1. Oneir. c. 23. Anthol. lib. VI. c. 21. epigr. 1. & Juvenal. Sat. XII. vſ. 81.

- - - - gaudent ibi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Atque ex his, niſi fallor, repeti debet cur monachi tam apud Græcos, quam Latinos, capillos ponant, & clerici tondeantur. Quum enim ad mentem Pauli Apoſtoli, in conciliis antiquioribus vetitum eſſet, ne Clericus cæſariem nutriat, ſenſim raſura capitis index cœpit eſſe ſpreti faſtus, donec illa ſeculo quinto aut ſexto, exemplo Nazaræorum apud Judæos, & ſacerdotum gentilium, in ceremoniam & teſſeram miniſterii eccleſiaſtici converſa fuit, uti Jac Gothofred. *ad l.* 38. *C. Th. de Epiſcop.* Junius & Salmaſius de coma, Zieglerus de tonſura Clericorum, Martene & Mabillon pluribus docuerunt. Ne vero

ratio

ratio deeſſet, addebatur interpretatio, quod ſicut ſervi ſemiraſi erant, & manumiſſi comam deponebant, ita capilli poſitionem ſymbolum eſſe ſervitutis, quam monachus Deo per votorum emiſſionem profitebatur: & rurſus raſuram ſacerdotalem ſignum eſſe libertatis, quod ex mundi ſervitute liberati, curis, & ſolicitudinibus vitæ non amplius tenerentur. Paulinus carm. 13.

Ponat capillos oneris & velaminis,
Servus fidei, & liber fide.

Ad Juriſconſultos magis pertinet, quod Ulpianus in *l.* 15. §. 27. *D. de injur* ſcribit: ad infamiam fieri, ſi quis ad invidiam alicujus veſte lugubri utatur, aut ſquallida, aut ſi barbam demittat, *vel capillos ſubmittat.* Quemadmodum enim rei criminum, ante exilium libere obambulantes, ad miſeram conditionem ſuam indicandam, capillum ſordidum, prolixum & circa caput negligenter rejectum ſubmittebant; ita eorum cognati & affines propinquiores hoc mœroris indicium edebant, ut capillos antea compoſitos, nunc ſolutos per mœſta colla ſine cura demitterent, ſpe miſericordiæ movendæ. Joſeph. lib. XIV. Antiquit. c. 77. Senec. lib. VI. contr. 30. Plin. lib. VII. epiſt. 27. ubi: *quia reis moris eſt ſubmittere capillum, reciſos meorum capillos depulſi, quod imminebat, periculi ſignum fuiſſe.*

Fictus autem ceterorum luctus invidiæ concitandæ cauſa aſſumi videbatur, & teſtimonium præbere, quaſi delatus eo crimine vere teneatur. Hinc Venulejus in *l.* 39. *D. eod. Veſtem ſordidam*, ait, *rei nomine in publico habere capillumve ſubmittere nulli licet, niſi ita conjunctus eſt adfinitate, ut invitus in reum teſtimonium dicere cogi non poſſit.* Non me fugit, capillos tondere, radere & reſcindere alibi inter luctus argumenta occurrere; ſed gentes ſunt diſcernendæ; comatæ in luctu capillos radebant; quæ vero brevem cæſariem geſtabant, ad contrariam migrantes conditionem, *demiſſos lugentis more capillos* aluerunt, ut canit Ovid. Heroid. epiſt. 10. Alia Livii, Senecæ, Gellii, Suetonii & Prudentii loca, quæ huic rei lucem accendunt, apud Cujac. lib vi. Obſ. c 5. Rævard. lib. iii. Varior. c. 6. & Conjectan. lib. i. c. 20. Rad. Forner. lib. iv. rer quot c. 5. Anton. Hotman. in dial. de barba & Panciroſ lib. ii. var. lect. c. 118. videre licebit. Hieronymus tempora diſtinguit comment. in c. 7. Hierem. *Apud Veteres*, inquit, *hæc erat omnium conſuetudo lugentium tondere cæſariem: at nunc e contrario comam demittere luctus indicium eſt.* Ad hanc porro ſymbolorum claſſem referendus eſt *matronalis habitus*, in *d. l.* 15. §. 15. *D. de injur.* vel, ut Vitruvius appellat lib. i. c. i.

orna-

ornatus matronalis, quo Romanæ matronæ a meretricibus dignoſcebantur; nempe alba vitta, qua comam colligebant, quamque Ovidius lib. 1. de art. amand. *inſigne pudoris* vocavit. Alebant autem matronæ hunc in finem puellas, eaſque comatas ſibi exornabant, auctore Ulpiano *l.* 49. *pr. D. de leg.* 3. ut earum ope viciſſim ſcanſilem haberent capillum, altumque caput multis compagibus ædificatum. vid. Plaut. Mil. act. III. ſc. 1. vſ. 193. Juvenal. Sat. VI. vſ. 502. & Briſſon. lib. 1. ſelect. Antiq. c. 4. Illud etiam mature uſurpatum legimus, ut puellæ nondum marito junctæ, ſed in domo paterna adhuc manentes, non velato capite incederent; contra quem morem invehitur Cyprianus de diſcipl. & hab. virg. ut & Tertullianus de habitu virginum & de virg. vel. Iſidorus lib. XIX. Orig. c. 23. *Habet & ſexus inſtitutam ſpeciem habitus, ut in viris tonſi capilli, in mulieribus redundantia crinium, quod maxime virginibus inſigne eſt; quarum & ornatus ipſe proprie ſic eſt, ut concumulatus in verticem, ipſam capitis ſui arcem ambitu crinium contegat.* Apud Langobardos puella ejuſmodi dicebatur *remanere*, aut *eſſe in capillo*, vid. L. Langob lib. 2. tit. 14. §. 20 ſeqq. & Pithoe. ad Conſuet. Trecenſ. art. 5. Poſtremo & illud adjiciamus, infamiæ cauſa cæſariem vel comam

comam nonnunquam detonſam eſſe; maxime feminis; quæ licet pulcherrimæ ſint, ſi calvæ procedant, placere non poſſunt, nec Vulcano ſuo, ut Apulej. ait lib. 2. Miles. Idem pœnæ genus, in maribus etiam apud populos. crinigeros & nobilitatem cæſarie metientes, ad ſubſannationem, tanquam hominis ſtulti, mollis aut ſervi pertinere videbatur. Sub Byzantinis Principibus frequentem fuiſſe pœnalem illam tonſionis ignominiam, Petrus Faber lib. III. Semeſtr. cap. 21. multis oſtendit. Apud Germanos adulteram, *accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit*, ſcribit Tacitus de M. G. c. 19. In ſpeculo etiam Saxonico fures, aliorumque criminum rei, *in cute & crinibus* puniri jubentur lib. II. art. 13. & 28. §. 3. *Virgis* item *caſi* ſimul *decalvati* memorantur apud Frênium in Gloſſ. voc. *decalvatio*, & Gloſſ. Græc. v. Κυρεύειν. Lindenbrog. Gloſſ. voc. *Scorticatus*. Nec dubitandum eſt 2. *Feud.* 27. §. *ult.* legendum eſſe: *ſcopis excorietur & forcipe tondeatur*, quia fures a tonſura noſcebantur. Forcipe autem tonderi non minus durum, quam inauditum videbatur Viro Ampliſſimo lib. III. Obſ. c. 16. ideoque maluit *forſice tondeatur*; ſed Priſciano & Bedæ forfices ſartorum ſunt, forpices tonſorum, & licet poſterior vox apud idoneos aucto-

auctores nuſquam reperiatur, ſi quid tamen mutandum, veriſimilius *forpice* lego, ſecundum illius ſeculi verſiculum: at nihil horum opus eſt, quia Gregorius Turonenſis, Crantzius aliique apud du Frenium in *forfex*, de uſu *forcipis* pro *forſice* ſatis teſtantur.

Caput V.

De Barba demiſſa & demeſſa ad l. 15. §. 27. D. de injur.

Superiori tractationi vicinum eſt argumentum de Barba, in quo videbimus, an poſt Antonii Hotmani dialogum, & Jacobi Thomaſii diſſertationem de barba, aliquod nobis ſpicilegium ſuperſit. Et primum quidem barba promiſſa inſigne fuit auctoritatis & ſapientiæ; unde non modo Philoſophorum erat *ſapientem paſcere barbam*, apud Horat. lib. II. Sat. 3. vſ. 34. ſed & promiſcue Hebræi, Græci & Veteres Romani piloſum illud oris decus, tanquam ornatum congenitum & minime ſumtuoſum, in pretio habuerunt. Ovid. lib. XIII. Metam. vſ. 847. *Barba viros hirtaque decent in corpore ſetæ.* Apud Græcos Alexandri M. ætate demum mos radendi invaluit, auctore Chryſippo apud Athenæum lib. XIII. pag. 565. Romani per annos

annos quadringentos & quiquaginta propexis in pectora barbis intonſi manſerunt; donec Scipionis Africani ætate juvenes tonderi cœpere; ut ex Varrone Plinius tradit lib. VII. Hiſt. Nat. cap. 59. Hadrianus ejuſque ſucceſſores barbam rurſus promiſere; ſed Juſtinianus in Chronico Alexandrino depingitur, τὸ γένειον κείρων ὡς οἱ Ρωμαῖοι, *mento raſus, ritu Romanorum*. Ponebant autem barbam alii ſerius, alii citius; plerique anno primo & vigeſimo ætatis, & tunc primam lanuginem diis, ut Apollini, Jovi aut Veneri conſecrabant. Petron. c. 29. Juvenal. Sat. III. vſ. 186. Martial. lib. III. epigr. 4. Quemadmodum vero gentes barbatæ in acri dolore barbam raſitabant, *ad indicium maximi luctus*, ut Sueton. ait in Calig. c. 5. & Grotius ad Eſdræ cap. 9. vſ. 3. multis firmavit, ita econtrario Romæ barba demiſſa mœroris & triſtitiæ index fuit. Cicero Verr. II. c. 22. Sueton. Cæſ. c. 67. Auguſto c. 23. Caligula c. 24. & de Catone Lucanus lib II. Pharſ. vſ. 376. *mœſtamque genis increſcere barbam*. Inprimis autem rei ſordidati maxima barba incedebant; uti M. Livius populi judicio damnatus, *erat veſte obſoleta capilloque & barba promiſſis* apud Livium lib. XXVII. c. 23. Hinc *barba reorum* apud Martial. lib. II. ep. 36 & Gellius refert lib. III. c. 7. Claudium Aſellium, Tribunum plebis,

plebis, cum eſſet reus, in contemptum populi barbam non deſiiſſe radere. Nec illi tantum, qui in reatu, ſed eorum quoque cognati & familiares, mœſtitiæ cauſa, barbam nutriebant; uti conjecto in carcerem Manlio, *multos mortales capillum ac barbam promiſiſſe*, Livius ſcribit lib. VI. c. 16 Non parva autem injuria erat, ſi quis nulla cognatione aut affinitate junctus, alterius cauſa barbam demitteret, ejuſque quaſi nocentis vicem doleret, qui per calumniam fortaſſe accuſatus erat. Quum enim Edicto Prætoris cautum eſſet, ne quid infamandi cauſa fieret, Ulpianus lib. 77. ad Edictum docet, eum actione injuriarum teneri, *qui ad invidiam alicujus veſte lugubri utitur, aut ſqualida, aut ſi barbam demittat, l.* 15. §. 27. *D. de injur.* Pertinet huc quodammodo Senecæ contr. 30. de filio patris occiſi, qui cum *ſordidatus barba demiſſa* divitem cædis ſuſpectum aſſidue per publicum ſequeretur, injuriarum ab eo accuſatur, quod invidiam faceret, populique loquacis ſuſpiciones moveret. Qua in re Gallio hanc primam dicebat eſſe quæſtionem: *An quod liceat cuiquam facere, ſi faciat, injuria non teneatur.* Deinde ex perſona divitis ita dividit: *Licet, inquit, flere, licet ambulare, qua velis: ſumere nihil, inquit,* habitus mœſti, *ut & alienum* a luctu

luctu *injuriarum* cauſa *facere. Sordidatus es, non queror: ſed ſi ſordes tua invidiam mihi concitant, queror.* Sic enim locum illum explicandum eſſe putem, de quo emendando Nicolaus Faber & Joh. Petrejus laborarunt. Illud præterea conſtat, apud antiquos deprecationis ſignum fuiſſe barbam tangere: Thetis namque, dum ſiniſtra genua tangit, *dextra manu mento apprehendens*, ſupplex alloquitur Jovem, apud Homer. Iliad. A. vſ. 501. & Dolon à Diomede mortem deprecaturus, *barbam manu robuſta* tangit, apud eundem Iliad. K. vſ. 454. Idem Euripides docet in Oreſte n. 290. & in Medea n. 65. ac Plinius lib. 11. c. 45. *Antiquis Græcis in ſupplicando mentum attingere moris fuiſſe.* Sic & Joabus, Hamaſam blandius ſalutans, barbam ejus apprehendit, ut eum oſcularetur, 2 Sam. xx. vſ. 9. & ſimiliter Turcæ hodie adventantibus barbam tangere in veneratione habent, & apud Tataros & Indorum quoſdam id honorificum habetur, teſte Joh. de Laet de imp. Magni Mogolis c. 3. Ubivis vero, etiam Romæ & apud Græcos, ſpecies ludibrii & contumeliæ erat barbæ pilos vellere aut petulanter contrectare, uti ex Jeſ. L. vſ. 6. Horatio lib. 1. Sat. 3 vſ. 133. & Perſio conſtat Sat. 1. vſ. 133. Hinc Papirius *Gallo barbam ſuam, ut tum omnibus promiſſa erat, permulcenti,*

venti ſcipione eburneo in caput incuſſo iram moviſſe dicitur, apud Liv. lib v c. 41. Graviſſima autem injuria erat, radi dimidiam alicujus barbam, eique quaſi notam ſervilem hoc pacto inuri, uti ex Davidis & Chanunis hiſtoria notum eſt 2 Sam x. vſ. 4. De Græcis Byzantinis Willelmus Tyrius lib. XI. c. II. *Mos eſt Orientalibus, tam Græcis, quam aliis nationibus, barbam tota cura & omni ſollicitudine nutrire; pro ſummoque probro & majori, quæ unquam irrogari poſſet, ignominia reputare; ſi vel unus pilus quocunque ſibi caſu de barba cum injuria detrahatur.* In Alemannorum quoque legibus tit. 65. cautum: *Si quis alicui contra legem barbam totonderit caput liberum non volenti, cum duodecim ſolidis componat.* Fuit etiam barbæ detonſio inter pœnas graviſſimorum criminum, cujus rei exempla apud Joach. Camerar. in chronol Nicephori & Leon. Allatium de conſenſ. Orient. & Occid. Eccl. pag. 669. videre licet. Adde de barba promiſſa & raſa Obſervat. Halenſes tom IX. n 10 & t. X. n. 4. ut & Kirchmaieri diſſ. de gloria & majeſtate barbæ, quæque infra de adoptione & jurejurando per barbam dicentur.

Caput VI.

De Oſculis, ad l 16. C. de Donat ante nupt. & l. 1. C. de Domeſt. & protect.

Oſculorum ubivis gentium magnus, ſed varius fuit uſus: alia enim religionis cauſa diis ſuis figebant, eorum os, manus aut pedes oſculantes: alia vero in quotidiano occurſu, in itu & reditu, in ſalutatione& gratulatione, amicitiæ & mutuæ benevolentiæ gratia dabantur. De his autem agere non eſt animus, tum quia nil faciunt ad Edictum Prætoris, tum quod Lipſius lib. 11. Elect. c. 6. Pancirolus lib. 1. Theſ. var. lect. c. 94. & Martinus Kempius, opere de oſculis ſingulari, omnia cum pulviſculo exhauſerunt, quorum ſcrinia audacius compilare, nec lubet nec licet. Omnia etiam de oſculis alio- rum populorum, ut & de illo, quo Judas Iſcariotes, in σημεῖον proditionis, uſus eſt, vulgata ſunt, ut cum Auguſtino ſufficiat exclamaſſe: *O ſignum ſacrilegum! ubi oſculo incipit ſignum, per pacis indicium rumpitur pacis ſacramentum!* Serm. 117. de Tempore. Illud vero non perinde in aprico eſt, quid moverit Conſtantinum, ut, non ſecutis nuptiis, per mortem alterutrius ſponſi vel ſponſæ, quod

quod ſponſus donavit, ad eum ejuſve heredes recurrere voluerit, niſi *oſculum* intervenerit. Verba ejus in *l.* 5. *C. Th. de ſponſal.* & *l.* 16. *C. Juſt. de donat. ant. nupt.* ſunt ſequentia: S*i a ſponſo rebus ſponſæ donatis, interveniente oſculo, ante nuptias hunc vel illam mori contigerit, dimidiam partem rerum donatarum ad ſuperſtitem pertinere præcipimus, dimidiam ad defuncti vel defunctæ heredes, cujuſlibet gradus ſint, & quocunque jure ſucceſſerint: ut donatio ſtare pro parte dimidia & reſolvi pro parte dimidia videatur. Oſculo vero non interveniente, ſive ſponſus, ſive ſponſa obierit, totam infirmari donationem, & donatori ſponſo vel heredibus ejus reſtitui.* Rem ita habete: Cum avarus quam maxime ſit ſexus ſequior, & magis amet ſibi donari, quam donare *l.* 33. *D. de donat. int. vir.* hinc ſponſus, ad conciliandum ſibi amorem, uniones, gemmas, annulos, vaſa aurea aliaque jocalia, ad mundum muliebrem ſpectantia, ſponſæ ſuæ ſperatæ, pactæ vel deſtinatæ, præter arrhabonem, donare ſolebat, eaque donatio pure facta olim conſiſtebat. *l.* 1. §. 1. *D. de donat. l.* 27. *l.* 66. *D. l.* 4. *l.* 6. *C. de donat. int. vir.* Si vero hac mente ſponſus donaſſet, ut nuptiis non ſecutis res auferatur, id eſt repetatur, vera donatio non erat, ſed ſub conditione ſolvebatur *d. l.* 1. §. 1. & *l.* 7. *l.* 11. *C. de donat. int.*

vir. At Conſtantino viſum eſt, donationem quamvis à ſponſo ſimpliciter factam, in ſe tacitam habere conditionem nuptiarum, ideoque tunc demum apud ſponſam manere, ſi ſponſus voluntatem mutaſſet; ſponſa vera pœnitente, vel alterutro moriente, ad donantem ejuſve heredes eam reverti debere, *l.* 2. *C. Th. de Sponſ. l.* 15. *C. de donat. int. vit.* Addit deinde limitationem, niſi oſculum intervenerit; quo caſu dimidiam donationem apud ſponſam vel ejus heredes remanere voluit, in *d. l.* 16. *C. eód.* Multi hic mirantur aut extollunt veterum caſtitatem, apud quos oſcula tam rara & magni vendita fuerint; id quod vel unus Sueton. in Tib. c. 34. aut Martialis lib. 11. epigr. 99. refellat. Magis veriſimiles ſunt duæ hujus rei rationes, quas attulit Jac. Gothofredus t. 1. C. Th. p. 268. Prima eſt, quod delibata quadantenus & pro parte dimidia ſit ſponſæ pudicitia, oſculo interveniente; id enim mulieribus σύμβολον καὶ κοινώνημα τῆς συγγενείας fuiſſe. Alteram a ſingulari oſculorum reverentia inter Chriſtianos petit; his enim ſicut inter *communionis ſymbola* & *charitatis ſigna*, oſculum fuit, ut ex Tertulliano, Ambroſio, aliiſque Baronius docuit ad A. Chr. 45. ita & ſponſam, cui oſculum tuliſſet ſponſus, arctiore fœderis vinculo conjunctam cenſeri. Tertullian. de vel. virg. c. XI.

de

de oſculo ſponſalitio: *Si autem ad deſponſationem velantur, quia & corpore & ſpiritu maſculo mixtæ ſunt per oſculum & dextras, per quæ primum reſignarunt pudorem ſpiritu, per commune conſcientiæ pignus.* Vera autem ratio mihi hæc eſſe videtur, quod publica ſponſalia olim μετὰ τοῦ ἀῤῥαβῶνος, καὶ τοῦ φιλίου τοῖς μνηστῆρσι φιλήματος, data arra & oſculo firmata ſunt; ut eſt in Novella Alexii Comneni tit. de Sponſal. & apud Matthæum monachum, lib. VIII. juris Græc. tom. pag. 510. adeoque *oſculo interveniente* nihil aliud hic denotet, quam inter publica ſponſalia celebrata. Per varios namque gradus ad tanti momenti negotium adſcendebatur, & quo propius ad nuptias perventum erat, eo firmior donatio eſſe debebat. *Habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas*, ait Arnob. lib. IV. & Juvenal. Sat. VI. vſ. 25.

Conventum tamen, & pactum & ſponſalia noſtro
Tempeſtate paras; jamque a tonſore magiſtra
Pecteris, & digito pignus fortaſſe dediſti.

Præter annulum autem ferreum, arrhæ loco datum, aliæ donationes adjiciebantur, quas *in ſponſalibus* factas vocat Ulpian. *l.* 32. §. 27. *D. de donat. int. vir. & ux.* Et ſicut annulus pronubus, vel monilia arræ nomine data ſponſalia vocantur *tit. C. ſi rect. prov. l. ult. C.*

de ing. man. l. 6. C. Th. de ſponſal. Sic etiam ſponſalia pro muneribus ſponſalitiis dicuntur, in *l. 3. C. de don. ant. nupt. l. 8. C. de præd. & al. reb. min.* Sidonius *ſponſalitias donationes* appellavit *lib.* VII. *epiſt.* 2. Neque mirabitur quiſquam inter ſponſalia celebrata oſculum primum vel ſaltem primum publicum interveniſſe, ſi cogitemus, apud Græcos, Romanos & Hiſpanos, ad quorum Vicarium Tiberianum noſtra *l.* 16. data eſt, innuptas virgines arctius, quam apud nos, recluſas in publicum non prodiiſſe, nec prius cum ſponſis colloqui permiſſas, quam omnia per proxenetas agerentur. Hinc Græci dona quædam, a ſponſo ejuſque cognatis ſponſæ data, *ἀνακαλυπτήρια* vocabant, quod tunc ei dabantur, quum in publicum revelata prodibat, & ſponſo ſine velo oſtendebatur, auctore Suida. Apud Græcos etiam recentiores, pariter ac apud Romanos, proxeneticis nuptialibus certus modus præſcriptus eſt, ne plus viceſima parte dotis & donationis propter nuptias ſibi cavere poſſent ſponſaliorum conciliatores, in Conſtitutione, cujus ante deſideratæ epitomen, ex Harmenopuli lib. IV. tit. 3. in titulum C. de ſponſal. retulerat Contius claſſe I Prætermiſſ. pag. 976. ſed quam integram ex libris Baſilikῶn Cujacius reſtituit lib. XI. Obſ. c. 18. Nec alia ratio eſt, cur rubrica Codicis

De

De ſponſalibus & arrhis ſponſalitiis & proxeneticis concepta eſt, quam quia *fere plerumque conditiones* ſponſaliorum *interpoſitis perſonis*, id eſt proxenetis, *expediuntur*, ut ait Ulpian. in *l. ult. D. de ſponſal.* Denique apud alias etiam nationes frequens fuit, pacta & conventiones, ſed maxime ſponſalia oſculo firmari, ut eo ſymbolo fidei, amori & concordiæ ſtudendum eſſe admonerentur. Gregor. Turonenſ. de vit. Patrum c. 20. *Dato ſponſæ annulo, porrigit oſculum, præbet calceamentum, celebrat ſponſaliorum diem feſtum.* Ideoque in chartis Medii ævi nil frequentius eſt, quam ut *oſculum* pro donatione propter nuptias vel ſponſalitia ponatur, & *oſcleum* vel *oſclium* cum dote & dotalitio conjungatur; cujus rei complura exempla diligentiſſimus du Frênius collegit in *oſculum* v. g. *uxori meæ dimitto in oſculum*: *Uxori meæ tradidi, ſive per oſculum, ſive per cartam traditionis: Renunciantes omni juri dotis, dotalitii, ſive oſculi, & donationis propter nuptias.* &c. Atque hæc quidem de oſculo ſponſalilitio, fidei & amoris ſymbolo ſufficiant. Diverſi generis fuit oſculum, quo Primicerii fabricarum, Primiſcrinii, & Cornicularii, officio exeuntes, aliæque certæ perſonæ, genu flexo, & inclinata cervice, ſacram Principis purpuram adorabant *l.* 1. *C. de appar. Præf. præt. l.* 2. *C. de fabricenſ. l. pen. C. de Conſul.*

Aliud rurſus, quo Domeſticis & Protectoribus, & Curialibus, in ſalutandis Præfectis Prætorio, eorumque Vicariis, ac multo magis Præſidibus uti licuit *l.* 1. *C. de domeſt. prot. lib.* 12. *l.* 109. *C. Th. de decur.* ſummi enim honoris loco oſcula illa permiſſa fuerunt, & nonnullis tantum ex privilegio conceſſum, ut hoc pacto obſequium & reverentiam teſtari poſſent; qua de re Jac. Gothofr. *ad l. un. C. Th. de Præf. præt. l. un. C. Th. de præpoſ. ſacr. cub.* & ad *l.* 4. *C. Th. de domeſticis* adiri debet Duo vero ei addam loca inſignia: alterum Valerii Maximi qui lib. 11 c. 6. Numidiæ Reges laudat, quod more gentis ſuæ, nulli mortalium oſculum ferebant; *quia quicquid in excelſo faſtigio poſitum eſt, humili & trita conſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuum eſſe convenit.* Alterum Spartiani, in Severo. c. 2 ex quo conſtat, provincialibus, inferioribus ſaltem, non licuiſſe in dignitate poſitos oſculo ſalutare & complecti Sic enim ille de Severo, qui poſtea Imperator eſt factus, *In legatione*, inquit, *Proconſulis Africæ, cum quidam municipum ſuorum Leptitanus, præcedentibus faſcibus, ut antiquum contubernalem, ipſe plebejus amplexus eſſet, fuſtibus eum ſub elogio præconis cæcidit: Legatum populi Rom. homo plebejus temere amplecti noli. Ex quo factum eſt, ut in vehiculo etiam legati ſederent,*

qui

qui ante pedibus ambulabant. Adde Tacit. lib. xv. Annal. c. 31. & de labratis oſculis Pithœ. lib. 1. Adverſ. c. 7. nec non Schurtzfleiſch. diſp. de ritu ſalutandi per oſculum. §. 6. 7.

Caput VII.

De Capite aperto & operto, ad l. 1. §. 5. D. de poſtul. & l. 10. C. de teſt. man & l. un. §. 5. C. de Lat. lib. toll.

Nondum a Capite divellor, quod & præcipuam hominis partem, & totam perſonam, & ſtatum civilem notabat. Per caput ſuum, vel alterius Romani jurabant, eodem quoque aperto, pariter ac nos, reverentiam teſtabantur. In ſacris ſcimus, capite eos fuiſſe velato, priſco ritu Judæorum aliarumque gentium, de quibus poſt Joh. Brodæum lib. v. miſcell. c. 8. Bergerus erudite diſſeruit; in profanis vero haud poſtrema reverentiæ nota caput aperuiſſe. Quum itaque Ulpianus in *d. l. 1. §. 5. D. de poſtul.* ſcribit, cœcum utriſque luminibus orbatum, pro aliis poſtulare non poſſe, hanc addit rationem, *quod inſignia Magiſtratus videre & revereri non poſſit.* Inſignia illa, ut faſces, ſecures, ſellam curulem, togam prætextam, lictores & tribunal,

 quan-

quantum ſatis eſt, Briſſonius lib. III. ſel. ant. cap. 14 & 15. Pancirolus lib. I. theſ. var. lect. c. 8. ſeqq. & Spanhem. de Præſt. & uſu num. diſſ. x. explicarunt, & infra de illis agetur: ſed quibus ſymbolis Quirites ea magiſtratus inſignia reveriti fuerint, ne γρῦ quidem. Docet id vero Seneca epiſt. 70. *Si Conſulem*, inquit, *videro, aut Prætorem, omnia, quibus honor haberi ſolet, faciam: equo deſiliam, caput aperiam, ſemita cedam.* Triplicem hunc morem egregie Lipſius Illuſtrat. lib. I. Elect. cap. 23. Verum quia vulgo Romani erant capillati, nec pileum aut petaſum ritu noſtro in Urbe ferebant, immo Hadrianus omnes orbis partes *capite nudo* in ſummis frigoribus peragravit, auctore Spartiano in ejus vita cap. 23. hinc Lipſius alibi, de amphitheatro cap. 19. & 20. certa tempora, certosque homines, ut milites, libertos, ægros, ſenes, & delicatos excipit, quibus tegmen fuerit in uſu. Minime vero ad hos ſolos reverentia illa capitis aperiendi reſtringenda eſt, quia illi etiam, queis pilei nullus uſus, contra injurias aëris & ſolis uſtionem laciniam togæ rejiciebant in caput, eamque in occurſu Prætoris, vel ad tribunal ejus accedentes iterum detrahebant. Exerte Plutarchus in cauſis: *Romani, ſi cui obviam facti ſunt, cui honor habendus, & ſi forte caput veſte injecta tectum habent, id revelant.*

velant. Tribunalis vero meminit Seneca epiſtola 15. ubi Mæcenatis mollitiem perſtringit: *Hunc eſſe, qui in tribunali, in roſtris, in omni publico cœtu ſic apparuerit, ut pallio velaretur caput, excluſis utrimque auribus; non aliter, quam in mimo divites fugitivi ſolent.* Ceterum pileum forma hemiſphærica, inſtar pyramidis aut maſſæ zachari, ex lana coacta confectum, libertatis ſymbolum fuiſſe, vel unus Caſſii & Bruti nummus, interfecto Cæſare, teſtatur, idque poſt eruditas Cujacii lib. III. Obſ. c. 23. Turnebi lib. VIII. Adv. c. 4. lib. XVIII. c. 13. & Pighii in Herc. Prod. pag. 301. obſervationes, ac Rainaudi & Solierii de pileo tractatus, notius eſt, quam ut explicari debeat. Hinc *ad pileum vocare* & *pileà donare* eſt manumittere Liv. lib. XXIV. c. 32. Senec. epiſt. 47. Perſ. Sat. V. vſ. 82. Sueton. Tib. c. 4 Aurelius quoque Victor *pileos manumiſſionum* vocat, in Nerone; & Ulpianus tit. XI. Collat. IL. Moſ. in ludum damnatos rudem accipere poſſe, ait, & *pilleari*, id eſt pileo liberationis donari. v. Lipſ. lib. 2. Saturn. c. 22. ubi Tertullianum ſimiliter rudem a pileo ſejunxiſſe obſervat. Inprimis autem Orcini liberti ſtatim mortuo domino, aut adita hereditate pileum ſumebant, ut pileati in funeris elatione lecticam proſequerentur, auctore Dionyſ. Halic. lib. IV. Antiq. c. 28. & Ap-

piano

piano in Mithridat. Hinc Diocletian. in l. 10. C. de teſtam. man. *Directis verbis jure data libertate non ſolum pilei impoſitione, ſed & adita hereditate, liberti conſtituuntur Orcini*, & Juſtinianus in l. un. §. 5. C. de Lat. lib. toll. *Qui domini funus pileati antecedunt, vel in ipſo lectulo ſtantes cadaver ventilare videntur, fiant illico cives Romani.* Perſius Sat. III. vſ. 106. *Heſternos Quirites* vocat, qui *capite induto ſubiere*, id eſt pileati ante funus manumiſſoris inceſſere. Ratio illius inſtituti forte eſt, quod manumiſſorum nudum raſumque caput tegmine indigebat; vel quod novi homines libera capita acceperant, quibus pileus imponi poſſet. Vid. *l.* 27. *D. de adim. vel transf. leg. l.* 98. §. 8. *D. de ſolut.* & quæ ſupra Exerc. 1. cap. 19. ea de re diximus. Apud Gothos pileus nobilitatis ſymbolum fuit, & *pileati* dicebantur, qui inter eos generoſi extabant, ex quibus etiam Reges & Sacerdotes ordinabantur, ut ſcribit Jornandes de reb. Get. c. 5. Hinc Aur. Victor. in Trajano *Dacorum pileatos* memorat, quos Xiphilinus e Dione πιλοφόρυς appellavit.

C A-

Caput VIII.

De Manu, poteſtatis ſymbolo, ad l. 2. §. 1. de O. J. et l. 4. D. de Juſt. et jur.

Non minor ſymbolorum ſeges a manibus deſumta eſt, quia variarum rerum eas nobis natura miniſtras dedit, ut Cicero graphice deſcribit lib. 11. de Nat. Deor. cap. 60. His poſcimus & pollicemur: vocamus & dimittimus: minamur & ſupplicamus: interrogamus & reſpondemus; his quoque gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, modum, numerum & triſtitiam oſtendimus: adeo *ut in tanta per omnes gentes nationeſque lingua diverſitate, hic omnium hominum communis ſermo videatur* Quintiliano lib. XI Inſt. orat. c. 3. Anaxagoræ profecto tanti olim manus fuit viſa, ut cauſam omnis ſapientiæ humanæ in ea quærendam eſſe exiſtimarit; dogmate ad atheiſmum proclivi, eamque ob cauſam à Plutarcho ſic temperato, ut experientia, manibus quæſita, pro ſapientiæ cauſa habeatur, in libro de Amor. frat. Ariſtoteles ſimiliter alicubi ita in ejus laudes provehitur, ut animam, quæ divina plane res eſt, manui, & nulli præterea membro, clariſſime compararit. Nec mirum itaque

que eſt, tot ac tam varia, amicitiæ, concordiæ, valedictionis, ſalutationis & clementiæ ſymbola, ab artificioſiſſima hac corporis humani parte, quæ inſtrumentum ante inſtrumenta dici poteſt, deprompta eſſe, de quibus Barthius videatur lib. XXX. Adverſ. c. 8. Supplices aut gratias agentes manus aliorum oſculo invadebant; in adorationibus vero propriam dextram ad oſculum referebant, priore digito in erectum pollicem reſidente, auctore Plinio lib XXVIII. cap. 2. Apulejo lib. IV. Metam. aliiſque apud Muretum lib. X. var. lect. c. 1. & Pithœum lib. I. Adverſ. c. 7. Manuum latio innocentiæ nota erat, ſive ut Philo ait lib. III. de vita Moſis: λȣτὴρ σύμβολον ἀνυπαιτίȣ ζωῆς: *lavacrum ſymbolum innocentis*, non modo apud Hebræos Deut. XXI. vſ. 6. Pſalm XXVI. vſ. 6. Matth. XXVII. vſ. 24. ſed etiam apud alias gentes; quia naturale eſt, puritatem elemento aquæ tribuere, uti Hugo Grotius ex Sophocle, Ariſtophane & Demoſthene ad Matth. d. l. & Thomas Gatakerus Adverſ. poſthum. c. 5. ex Homero docuit: nam Iliad. γ. v. 271. manibus regum, in pacta convenientium, aqua ſuffuſa dicitur, non modo quod ſacra facturi eſſent, ſed etiam ut manus puras & a fœderis violatione alienas fore pollicerentur. Manus vero imponebantur iis, quibus munus aliquod mandabant,

dabant, vel benedicebant, vel victimis, in ſignum has ſubire locum offerentis, & pro illo accipi mactationem; id quod ex Gen. 48. vſ. 13. Exod. 29. vſ. 11. Num. XI. vſ. 17. Deut. 34. vſ. 9. Act. VI. vſ. 6. & Matth. 19. vſ. 13. conſtat, & Guil. Outramus de ſacrif. lib. I. c. 15. ut & Clericus ad Exod. d. l. & Levit. 24. vſ. 14. pluribus illuſtrarunt. In civilibus negotiis manus inprimis vis & poteſtatis ſymbolum fuit, ipſamque poteſtatem notavit. Sic Græci χειροδίκην dicunt, cum rigido jus dicitur enſe. Seneca lib. III. de ira c. 2. *Nobiles conſectatus viros, ſupplicium manu ſumſit.* Curtius lib VIII. c. 2. *Anguſtias barbari manu tuebantur.* Tacitus de Mor. Germ. cap. 36. *ubi manu agitur.* Sed quando Pomponius in l. 2. §. 1. de O. J. ait: *omnia manu a regibus gubernabantur*, manus non notat vim quandam tyrannicam & dominatum abſolutum, ſed factum opponitur juri ac legibus, quia non ex lege & formula, ſed pro captu ſuo & arbitrio Romulus jus dicebat, & pariter Tacitus lib. III. Annal. c. 26. *Romulus, ut libitum imperaverat.* Ceteroquin notum eſt, Reges Romanos non fuiſſe abſolutos, ſed diviſum quodammodo cum populo geſſiſſe imperium, ſicut & ceteri Italiæ & Græciæ Reges; id quod ex Dionyſio Halicarn. lib. II. c. 14. l. IV. c. 20. & Seneca *epiſt.*

108.

108. conſtat, & Grotius lib. 1. de J. B. & P. c. 3. §. 20. n. 5. & c. 4. §. 8. latius probavit. Ceterum in contrahendis negotiis manus Romæ quam maxime poteſtatis fuit ſymbolum, & Ulpianus *manum*, per poteſtatem, in *l.* 4. *D. de Juſt. & jur.* Gajus *manumittere*, per poteſtate demittere explicavit in *l.* 28. *D. de adopt.* Hinc matresfamilias *in manum convenire*, & *in manu* eſſe dicebantur, quæ a maritis coëmtæ, rituve confarreationis, vel uſu in poteſtatem eorum erant tranſlatæ, Ulpian. *tit.* 9. Liv. lib. XXXIV. c. 2. & Gell. lib. IV. c. 3. Filiifamilias & ſervi *in poteſtate, manu ac mancipio* erant patrum ac dominorum Ulpian. *tit.* 19. §. 18. etiam mancipia quaſi manu ab hoſtibus capta dicebantur, §. 1. *Inſt. de jure perſ.* & virgines Veſtales a Pontifice maximo manu capi ſolitas, Ulpianus *tit.* 10. §. 5. Gell. lib. 1. c. 12. aliique apud Rævardum lib. 11. Varior. c. 17. & Lipſium de Veſta & Veſtal. c. 5. retulerunt. Ipſæ etiam conſecrationes & dedicationes non modo verbis certis & ſolennibus, ſed etiam manu fiebant, ut Cicero lib. 1. de LL. *fides conſecratur manu*, & Ovid. lib. 1. Faſt. vſ. 610. *Templa ſacerdotum rite dicata manu.* Omnis item mancipationis ſolennitas, ritu imaginario venditionis & traditionis fiebat, ac res mobiles ipſæ, immobilium gleba, & incorporalium ſymbolum;

lum, quod eas repræſentabat, manu apprehendebatur. Ulpian. *tit.* 19. §. 6. & Ampl. Bynkershoek de reb. manc. c. 8. & 10. Manus injectio porro JCtis dicitur rei jurisve noſtri adprehendendi abducendique facultas *l.* 10. §. 1. *D. de in jus voc. l.* 9. *D. de ſerv. exp.* & quia hæc rei vindicationis finis erat, ideo in XII. Tabb. ſcriptum: SI QUI IN IURE MANUM CONSERUNT, id eſt rem præſentem oculis Prætoris ſubjectam vindicant, re & manu adverſarii apprehenſa. Rem omnem Cicero pro Muræna cap. 12. & Gellius lib. XX. c. 10. exponunt, eoque reſpicit Ovidius lib. I. Amor. eleg. 4.

Et dicam mea ſunt, injiciamque manus.

& lib. II. Amor. eleg. 5.

Injiciam dominas in mea jura manus.

Contra, quos patria vel dominica poteſtate liberos eſſe volebant, eos manu ſua, capiti aliive membro impoſita, emittebat dominus vel pater, in ſymbolum ſublatæ poteſtatis; unde *manumiſſus*, quaſi manu emiſſus, ut Feſtus docet & Cornutus ad Perſii Sat. V. non quod manus ſervo immitteretur, uti Cujac. lib. V. Obſ. c. 13. nam Terent. Phorm. V. 5. vſ. 2. *emiſſa eſt manu.* Plin lib. VIII. epiſt. 18. *manu patris emiſſa.* Sueton. Vitell. c. 7. *manu emiſit filium.* Auſon. *capta manu, ſed miſſa manu.*

Atque ex his forſan lucem mutuatur lex ce- remonialis de hirco ἀποπομπαίῳ, ſive emiſſa- rio, populi peccata in deſertum bajulante; licet variæ de eo ſint Bocharti, Spenceri & Wayeni ſententiæ, Levit xvi. vſ. 20. *Et imponet Aaron manum ſuper caput hirci vivi, & amandabit eum in deſertum.* Hinc etiam aſſertor in libertatem καρπιστὴς, & ipſa aſſer- tio καρπίστια, apud Soſipatrum, Chariſium, Arrianum & in Gloſſis Philoxeni exponitur, quod aſſerendus manu brachiali caperetur. *Aſſerere manu in libertatem cum prehendimus*, ait Varro lib. v. de L. L. pag. 40. Καρπὸς enim juncturam manus notat, ſeu partem brachii, in qua medici arteriarum pulſus explorant. Vindiciæ ergo fiebant per manus injectionem; ſicut hodie forenſes vindiciæ manutentio vocantur. v. Jac. Nic. Loënſis Miſcell. lib. v. c. xi. & Barnab. Briſſon. de formul. lib. v. pag. 384. ubi Plauti, Terentii & Martialis loca collegit, ex quibus formu- la, *Hunc liberali cauſa, manu adſero*, illu- ſtratur.

CAPUT IX.

De prohibitione per manum, id eſt lapilli jactum, ad l. 5. §. 10. D. de oper. nov. nunc. & l. 20. §. 1. D. quod vi aut clam.

Ex ſuperiore capite lucis non nihil affulgebit vexatæ Ulpiani cautioni, in *l. 5. §. 10. D. de oper. nov. nunc.* cujus verba ſunt, quæ ſequuntur: *Meminiſſe autem oportebit, quotiens quis in noſtro ædificare, vel in noſtrum immittere vel projicere vult, melius eſſe eum per Prætorem, vel per manum (id eſt lapilli jactum) prohibere, quam operis novi nunciatione: ceterum operis novi nunciatione poſſeſſorem eum faciemus, cui nunciaverimus.* Hæc vero priusquam explicemus, duo de vera lectione præmittenda erunt. Et primum quidem conſtat ſatis, male Florentiæ legi, *id eſt lapilli ictum:* nam in Baſilicis eſt: ἢ διὰ τῆς πραίτωρος, ἢ διὰ λίθου βολῆς, atque idem Ulpianus, alibi de eadem re diſſerens, voce *jactus* uſus eſt. v. c. in *l. 6. §. 1. D. ſi ſerv. vind.* ait: *ſi lapilli jactu inpedierit*, & in *l. 1. §. 6. D. quod vi aut clam: Si quis jactu vel minimi lapilli prohibitus facere* &c. Altera inſpectio eſt, quid de Franciſci Hotmani emendatione habendum

ſit, qui lib. 11. *Obſ. c.* 4. verba, *id eſt lapilli jactum* gloſſam imperiti interpretis eſſe ideo ſtatuit, quia Ulpianus hoc loco de eo ſolo diſputat, qui in noſtro novum opus molitur, quo caſu latius eſt per Prætorem, vel per manum prohibere, quam ſi operis novi nunciatione, voce vel jactu lapidis, utamur *d. l.* 6. Probabilius fundamentum correctionis collocaſſet tum in voce *ictus*, quæ imperitum gloſſatorem ſapit, tum in *l.* 20. §. 1. *D. quod vi aut clam*, ubi Paulus manum a lapilli jactu ſeparat, *vel dicentis ſe prohibere, vel manum opponentis, lapillumve jactantis, prohibendi cauſa.* Verum nihil mutandum cenſeo. Nuntiatio enim eſt vel publica vel privata, hæc iterum verbalis vel realis. Publica fit per Prætorem *l.* 3. §. 1. *de n. o. n.* id eſt per interdictum prohibitorium, quod omnino eſt jurisdictionis Prætoriæ *d. l.* 6. §. 1. *l.* 1. §. 10. *& l.* 5. §. 10. *eod.* Verbalis fit hac formula: *Denuncio tibi, ne quid illo in loco novi operis me invito facias*; atque huic erat locus, ſi quis in ſuo vel publico novum opus faciebat *l.* 7. §. 14. *D. de pact.* Denique realis fit per manum & jactum lapilli: nam quia edictum nunciationem generaliter permittebat, non opus erat adire Prætorem, pariter ac in vocatione in jus, ante Conſtitutiones obtinuit. Hæc quoque eaſdem cum publica habebat

vires

vires, atque utilitatem poſſeſſionis nobis ſalvam præſtabat, ſi vicinus in noſtro aliquid moliretur, ne teneremur ſatisdationem accipere, & pati ædificare nunciatum; cum is qui ſatis dedit, hoc ipſo poſſeſſor conſtituatur. Quamvis ergo apud Paulum in *d l.* 20. non diffitear *manum opponentis*, idem eſſe, quod dejicientis & expellentis; ut cum licere dicimus eum, qui in fundum noſtrum contra voluntatem noſtram ingreditur, manu prohibere ac jure depellere *l.* 3. *l.* 50. *D. de A. R. D. l.* 13. §. *f. D. de injur.* & Curtius lib. VIII. c. 2. *anguſtias munitas ac validas barbari manu tuebantur*, non tamen ideo, *per manum* & *per jactum lapilli*, tanquam diverſa nunciationis genera, ab Hotmano debebant divelli, quia utraque re fit ac poſſeſſionem ſervat, *d. l.* 16. *& l.* 1. quique jactu prohibet, utique lapillum manu dejiciendo, per manum prohibere videtur. At tu forſan quæris, cum Mornacio, cur lapidis jactu illa prohibitio facta cenſeatur? *Quis enim ille fuerit jaciendi lapilli ritus, plane ignotum mihi eſt ex auctoribus, reperique neminem, vel literatiſſimum, qui ſe de eo quicquam animadvertiſſe dixerit. Prætermiſit Briſſonius in Formulis*, ait ille *ad l.* 6. *D. ſi ſerv. vind.* At non prætermiſit Cujacius, qui tum ad eand. *l.* 6. *D. ſi ſerv. vind.* tum ad *l.* 81. *D. de V. S.* ait, lapilli

jactum ſymbolum fuiſſe litis & prohibitionis, quemadmodum ſtipula fracta fœdus ruptum deſignabat, jactus chirothecæ erat duelli indictio, & olim haſtæ ferratæ miſſio in terram hoſtilem erat ſignum belli & renunciatio ſocietatis, ſi quæ interceſſiſſet, apud Juſtinum lib. II. c. 5. Livium lib. I. c. 32. & Serv. ad illud lib. IX. Æneid. vſ. 53.

- - -jaculum intorquens immittit in hoſtes,
Principium pugnæ.

Ludovicus Ruſſardus, anteceſſor Biturcienſis, in nota marginali ad noſtram *l.* 5. §. 10. *de op. nov. nunc.* hanc nunciationem ideo inductam putat, ne quis *vim* armatam adhibeat, eamque ex quadam juris veteris imagine repetit, quo ex jure manu conſertum res repetebatur Gell. lib. XX. c. 9. Aliter Gregorius Tholoſanus lib. IV. Syntagm. c. 29. manum cenſet novo operi eſſe oppoſitam, donec adiretur judex, qui de re cognoſceret, & jactum eſſe lapillum in locum, ubi novum opus fiebat, ut ædificanti nunciaretur, ne ultra animum intenderet, ſed cœpto opere deſiſteret, alioquin fore, ut judicio petatur, ſicut lapide & ſaxo opus tactum erat. Innocentius vero Cironius, in Paratitl. ad lib. V. Decretal. tit. 32. rationem deſumit ex eo, quod ſicut adprehendendæ poſſeſſionis nota

eſt

eſt ceſpitis vel glebæ aſſumtio, ut Gellius notat lib 11. c. 17. ita & jactationem ceſpitis vel lapidis poſſeſſionis intervertendæ, turbandæ vel amovendæ ſignum fuiſſe. Juvat hanc conjecturam, quod jacere, dejicere & projicere apud Grammaticos pro deſtrueire ſumitur & demoliri; ideoque per ruinam & jactum unius lapilli, prohibitionem factam exiſtimari, eumque qui unicum lapidem ex novo opere dimoverit, novum opus, a quo abſtinendum ſit, nunciaſſe videri. Denique Alexander Raudenſis *de anolog.* c. 7. n. 14. lapilli jactum ita explicat, quod in ſolo meo ubi ædificatur, capiam vel capere faciam lapillum, pro ædificando præparatum, eumque jactum diſpergam ac extra limites meæ poſſeſſionis projiciam. Non minor recentiorum eſt variatio: Schilterus Exerc. ad D. 42. §. 16, 17. repudiata, quam ante foverat Exerc. 18. §. 37. ſententia, Hotmani emendationem amplexus eſt; Carpzov. lib. 1. Reſp. 6. & Brunn. *ad l.* 5. §. 1. *D. quod vi aut clam* Raudenſem ſequuntur. Mihi vero, ſi inter tot tamque præclaros ſenatores, ſententiæ dicendæ jus eſt, res ita concipienda videtur. Licebat Romæ ei, qui ædificabat in noſtro, *manum opponere*, id eſt vim vi repellere poterat poſſeſſor, ut ex *l.* 3. §. 9. *D. de vi & vi. arm.* conſtat, & ex variis locis juris

civilis Duarenus probavit *præl.* 2. *&* 9. *in tit. de oper. nov. nunc.* ſed quia ſic periculum tranquillitatis publicæ verſabatur, & metus erat majoris tumultus, ideo Ulpianus, cautionem ſuggeſturus, maluit *per manum* lapilli jactum interpretari, & jubet nos *meminiſſe, melius eſſe* lapilli jactu uti: quia vis illa feſtucaria & civilis, teſtato facta, eundem, quam vis naturalis, effectum producebat: *nam ſi quis jactu vel minimi lapilli prohibitus facere, perſeveravit facere, hunc quoque vi feciſſe videri, Pedius & Pomponius ſcribunt, eoque jure utimur*, ait idem Ulpian. in *l.* 1. §. 6. *D. quod vi aut clam.* Atque ita *manum* pro jactu talorum & ictu poni, laudata ſimul noſtra *l.* 5. Schulting. & Burman. ad Quintil. decl. 1. docuere. Fuit igitur lapilli jactus ſolennitas nunciationis, teſtibus adhibitis, privatim re & verbis facta, quæ potentior erat mere verbali: nam ſicut ædificium, poſito lapide fundamentali, cœptum erat, ita nunc vel minimo lapide de loco moto & projecto, velut ex ſymbolo moribus recepto, ſciebant fabri, ab opere cœpto ſibi deſiſtendum eſſe, donec locali inquiſitione facta, conſtaret, an vicinus in fundo alterius ædificaverit, vel ædificando jus alterius reddiderit deterius, aut formam veteris ædificii egreſſus fuerit, vel non *l.* 1. §. 11. *&* 13, 15.

l. 11.

l. 11. *D. de novi op. nunc. l.* 4. *pr. D. de damno inf.* In multis aliis ritus ejusmodi ἀντίστροφοι Romanis placuerunt, ut unumquodque eodem fere modo, quo quid inceptum erat, in contrarium acto, diſſolveretur. *l.* 80. *D. de ſolut. l.* 35. *de R. J.* Ita ſervi manu capti manumittebantur; urbes aratro conditæ aratro delebantur; & conjuges confarreationis ſacrificio conjunctæ per diffarreationem ſolvebantur. vid. Rad. Forner. *lib.* 1. *rer. quot. c.* 9. & Langl. *lib.* XIII. *Semeſtr. c.* 1. *&* 2. Exemplum recentius ejusmodi nunciationis ex Charta Occitanica A. 1407. dedit du Frêne in Gloſſar. voc. *nuntiatio*: *Propter quod denuntiabit prædictis Carmelitis novum opus, & in ſignum hujuſcemodi denuntiationis & prohibitionis, prædictus D. Rector, ſeu vicarius ibidem, & in continenti per jactum unius lapilli dixit, & verbo propoſuit, dirigendo verba ſua Carmelitis prædictis, in dicto novo opere exiſtentibus: Denuntio vobis opus novum. Item per jactum ſecundi lapilli dixit: Ego denuntio vobis opus novum. Item ſimiliter & tertio loco per jactum tertii lapilli dixit: Ego denuntio vobis opus novum.* Eundem modum hodie in uſu eſſe, oſtendit formula apud Volckmann. in *Arte Not. p.* 2. *c.* 81. *form.* 3. & Groeneweg. ad *l.* 5. §. 10. *D. de nov. op. nunc.*

CAPUT X.

Dextra fidei inſigne: pignus a pigo; emiſſa manus. L. 15. D. de probat. & l. 238. D. de V. S. illuſtratæ.

NUnc, age, ad dextram pergamus, quæ apud omnes gentes fidei, ſponſionis & ſocietatis ſymbolum fuit; quia in junctura manuum, non in vola, fidei ſedes eſſe credebatur. Plin. lib. XI. Hiſt. nat. c. 45. *Aliis etiam partibus ineſt quædam religio: ſicut dextra oſculis averſa appetitur, in fide porrigitur.* Apud Hebræos manus complodere ſignum erat ſponſionis *Prov.* VI. vſ. 1. & ſocietatis *Gal.* II. vſ. 9. Perſæ, datis & acceptis dextris, fidem firmabant, Diodor. Sic. lib. XVI. c. 34. & Curt. lib. VI. c. 4. Idem de Parthis ait Joſephus lib. XVIII. Antiq. c. 12. Apud Græcos Euripides Medea vſ. 21 dexteras appellat πίϛιν μεγίϛην, & Sophocles Philoctete: Ἔμβαλε χειρὸς πίϛιν, *cedo dextram, fidei teſtem.* De Sophoniſba & Maſaniſſa Liv. lib. XXX. c. 12. *data dextra in id quod petebatur, obligandæ fidei.* De Romanis Cicero Philipp. XI. c. 2, *Dextræ, quæ fidei teſtes eſſe ſolebant, perfidia ſunt & ſcelere violatæ.* Apud Virgil. lib. III. Æneid.

Æneid. vſ. 610. Anchiſes dextram dat juveni, atque animum *præſenti pignore firmat*. In nummis frequentes ſunt duæ manus junctæ, cum inſcriptione FIDES EXERCITUUM, vel CONCORDIA AUGUSTORUM. Annuli quoque nuptiales dextras habent conjunctas, cum inſcripto nomine FIDES, apud Smetium Antiq. pag. 23. nam & in ritu nuptiarum dextræ, in ſignum fidei & concordiæ, conjungi ſolebant. Sidon. in Epithalam Polemi: *Tum diva comas viridantis olivæ Pace ligat, nectit dextras ac fœdera mandat.* Hinc quoque Reges eorumque legati & duces pangere fœdus, inducias & pacem dicuntur, apud Latinæ linguæ auctores, quod comploſis dextris publicas conventiones firmabant, a πάγω, πήγω, *compingo*, *conjungo*. Tacitus lib. XII. Ann. 47. *Mos eſt regibus, quoties in ſocietatem coëunt, implicare dextras*, & Juſtinus lib. XI. c. 15. *Unicum pignus fidei regiæ* dextram vocat, ubi plura Berneggerus in notis. Non minus privati, in dandis accipiendisque mandatis, manus ſibi dabant, Fidei, quam ut deam colebant, teſtes & certiſſimum fiduciæ argumentum. Mandare enim a manu data, eſt ἐγχειρίζειν. *Dextram dextra retinens obſecro*, ait Plaut. Capteiv. II. ſc. 3. vſ. 82. ſeqq. Ab antiquo item *pigo* & *pago* pignus nomen accepit, non *a pugno*, *quia res*, *quæ pignori dantur*

manu traduntur, ut Cajus exiſtimavit in *l.* 238. *de V. S.* a Salmaſio *de modo uſur.* aliiſque notatus. Eruditiſſimus Petrus Faber conjecit lib. II. ſemeſtr. c. 22. dextras promiſſas & porrectas ſtipulationis quoque ſymbolum acceſſorium fuiſſe, per quod obligationem contractam eſſe ſignificarent. Inde formula *Promittis? promitto*, ἐλλειπτικῶς, quaſi diceretur, an manu porrecta fidem obligas & aſſenſum præſtas? De Græcis Tullius pro Flacco c. 7. *porrexerunt manus*, *pſephiſma ſecutum eſt*. De aliis Claudian. lib. I. in Rufin. vſ. 117. *cunctaque profanas porrexere manus.* Statius lib. III. Theb. vſ. 352. *dejecti trepidas, ſine mente ſine ira, Promiſere manus.* omnibus autem præivit Lucan. lib. I. Pharſ. vſ. 386.

cuncta ſimul aſſenſere cohortes,
Elataſque alte, quæcunque ad bella vocaret,
Promiſere manus.

Addam, in litterarum obligatione manus ſcripturam quaſi præſens fidei pignus fuiſſe; hinc Græci manum pro chirographo dicunt, ſicut & Græciſſans Modeſtinus *manum emiſſam* pro cautione uſurpavit, in *l.* 15. *D. de probat.* v. Merill. lib. III. Obſ. c. 33. Apud Francos Hincmarus de ord. palat. c. 30. *dextras* pro fœderibus poſuit; datas atque acceptas dextras memorat Wilh. Tyrius lib. XIX. c. 16.

&

& Annal. Fuldenſ. ad A. 869, In præſtandis item hominiis, vaſallos & ſubditos regibus vel dominis dextra data fidem præſtitisſe legimus, apud Auctorem vitæ Ludovici Pii A. 837. Reginonem & Annal. Franc. ad A. 884. & 889. Talis denique eſt qualiſcunque promiſſio, manu firmata, quæ *manualis* dicitur *c. ſuper eo* 51. *X. de ſent excomm. & c.* 11. *X. de majorit. Manufirmatio* in Capitul. Car. M. lib. VI. c. 228. & *Fides per manum data*, in diplom. Lud. Craſſi A. 1137. appellatur. Cur autem dextræ præ ſiniſtra is honos ſit delatus, ut arctioris fidei ſymbolum eſſet, vix dici poteſt, ſi verum eſt, quod Plato olim contendit, utramque manum natura æque eſſe validam, & diſcrimen à negligentia & aſſuetudine proficiſci. Idem non ita diu, variis rationibus adjectis, Morinus evincere conatus eſt, in ſermone Gallico, qui tom. 2. Hiſtoire de l'Academie royale, reperitur, ubi ad ambidextros ſeptingentos, ex una tribu Benjamin, 2. *Jud. xx.* vſ. 16. & ad Tiberium, cujus ſiniſtræ majorem fuiſſe agilitatem, provocavit, auctor eſt Sueton. ej. vita c. 68. Verum Ariſtoteles, præceptori ſuo contrarius, pro dextra pugnavit, duplici argumento, quia dextra quævis membra calidiora ſunt, & ab his motionis eſt initium, *libro* III. *de part. animal. c.* 9. &

de

de inceſſ. animal. c. 4. Plinius etiam univerſe ſcripſit, *vires dextra parte eſſe majores* lib. VII. Hiſt. Nat. c. 17. etiam in plantis *firmiora eſſe dextra in parte genita* lib. XVII. c. 21. & *dextrum brachium omnibus cancris eſſe majus* lib. IX. c. 31. Apulejus *dextera corporis validiora eſſe*, & in omni animato motum a dextra oriri, Chalcidius in Tim. Plat. affirmavit. Hinc formam ſcribendi in lingua Hebræa ſiniſtrorſum tendere, obſervant Patres, & ſcalarum aſcenſus eodem dirigi debere, architecti, cochleæ limacis imitatione, præſcribunt. Varro omnium rerum auctoritatem dextræ viribus conſtare ait, & Virgilius *dextram potentem* appellavit. Hæc certe peragit opus, hæc jurat, ſacra infert altaribus, lapſos erigit, aliaque officia caritatis exercet: hæc etiam eſt ratio, cur *ſedes fidei in dextris ſacrata eſt*, auctore Livio lib. I. c. 21. Adde quæ Lipſius, pro dextræ honore, adverſus Joh. Goropium Becanum diſputavit *lib.* II. *Elect. c.* 2.

CAPUT. XI.

Dextra hoſpitii privati et publici inſigne, ad l. 5. §. 2. D. de capt. et poſtl. rev. et l. ult. §. 19. D. de mun. et hon.

UT peregrinis humanitas exhibeatur, tum naturalis, quæ inter genus humanum intercedit neceſſitudo, tum neceſſitas commerciorum, tum etiam divinæ ac humanæ gentium quarumvis moratiorum leges poſtulare videntur. Ipſe Deus Opt. Max. in Theocratia ſua, peregrinorum cauſam majorem in modum commendavit Exod. XXII. vſ. 21. Deut. x. vſ. 18. Apoſtoli quoque diſcipulis ſuis τὴν φιλοξενίαν εἰς ἀλλήλους, permultum inculcarunt Rom. XIII. vſ. 13. Hebr. XIII. vſ. 2. 1 Petr. IV. vſ. 9. Apud Indos denique, Cretenſes, Græcos & Romanos Magiſtratus poſiti erant peregrinis, ne injuria afficerentur. Ipſe gentilium Jupiter, quod hoſpitibus jura dediſſe credebatur, Ξένιος Ζεὺς apud Homer. Odyſſ. ξ' vſ. 55. & 283. & *Juppiter Hoſpitalis* apud Ciceron. lib. II. ad Quint. fratr. ep. 11. & Plinium dictus eſt lib. XXXVII. H. N. c. 5. At vero cum iſtud rectæ rationis dictatum apud quoſdam populos adeo obliteratum eſſet, ut latrocinia nullam

nullam haberent infamiam, nullumque omnino jus aut fides erga peregrinos ſervaretur, quia commune ξένȣ & *hoſtis* nomen habebant, ideo opus fuit, ut jus hoſpitii contraheretur. Accedebat, quod rariores tunc erant cauponæ, in quas diverterent peregrinantes, uti ex Lothi, Jonæ, aliorumque hiſtoriis Stuckius Antiq. convival. fol. 97. & Perizonius ad Ælian. lib. IV. var. hiſt c. 1. oſtenderunt: quæ vero apud Lydos, primos caupones, ceterosque eorum exemplo diverſoria reperiebantur, maximam partem meretricum & furum erant receptacula, in quibus viri boni honeſte agere non poterant. Vid. *l.* 1. §. 1. *l.* 3. §. 1. *D. naut. caup.* Ælian. lib. III. var. c. 14. lib. IX. c. 19. lib. XIV. c. 14. & Horat. lib. 1. Serm. 5. vſ. 4. Hiſce malis ergo ut obviam iretur, non modo ſinguli, ſed & integræ familiæ & gentes jus hoſpitii, ipſo naturæ vinculo arctius, multa cum religione contraxerunt, quorum prius, privatum ſcilicet, ἰδιοξενία, Publicum vero προξενία Græcis vocabatur. Utriuſque frequens apud Veteres celebrata eſt memoria; nam Glaucus & Diomedes, audito alter alterius nomine, ob hoſpitii jus inter majores, a pugna deſtiterunt, apud Homerum Iliad. VI. & Neſtoris filius ac Telemachus hoſpites ἐκ πατέρων φιλότητος dicuntur Odyſſ. XV. Apud Plutarchum quoque

que Nicias Athenienſis προξένος τῶν Λακεδαιμονίων vocatur & Cicero lib. XIII. fam. ep. 19. ſibi cum Lyſone Patrenſi hospitium vetus, & neceſſitudinem ſanctè colendam fuiſſe, ſcribit. Huc item nonnulli referunt, quod de hospite privato dicitur, in *l.* 2. *D. de uſu & hab.* & *l.* 1. §. 9. *D. de his qui effud.* verum ſicut gratis & liberaliter recepti peregrinantes ibi intelligi poſſunt: ita ad publicum hospitium malim referre, quod Pompon. ſcribit in *l.* 5. §. 2. *D. de capt. & poſtl.* poſtliminium in pace datum eſſe, *ſi cum gente aliqua neque amicitiam, neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſa factum habeamus.* Ita cum Cæretibus publice hoſpitium factum eſſe narrat Liv. lib. V. c. 50. & cum aliis lib. I. c. 45. lib. XXXIII. c. 54. Cæſar. lib. II. de B. C. c. 25. Ut vero heredes & poſteri contrahentium cognoſcerentur, moris fuit, teſſeram utrinque habere dimidiatam, ex talo in æquas partes diſciſſo, qua producta jus hoſpitale novaretur. Græci σύμβολον, Latini *teſſeram hoſpitalem* appellarunt, de qua multa Plato in Sympoſio, Euripidis Scholiaſtes in Medeam vſ. 613. Canterus lib. V. nov. lect. c. 21. Brodæ. lib. X. miſc. c. 30. Schottus lib. 2. Nod. Cic. 6. Feithius lib. III. Antiq. Homeric c. 12. & Potterus Archæol. Græc. lib. IV. c. 21. His autem

teſſeris nomina ſua aliaſve figuras & præcipue Jovis Hoſpitalis notam inſcribere Solebant, uti Petitus lib. 11. Miſc. c. 1. & Bochartus lib. 2. Chanaan. c. 6. ex Plauti Pœnulo act. v. ſc. 1. vſ. 22. recte conjecerunt, ubi Pœnus, per figuram ἐν διὰ δυοῖν, ait: *Deum hoſpitalem &, teſſeram mecum fero.* Teſſeræ illæ non una conſtabant materia; erant ligneæ, æreæ, plumbeæ, & vitreæ. De ligneis extat inſcriptio apud Grut. pag. 624. n. 8. ANTISTITÆ DELPHIDIS TESSERARIÆ LIGNARIÆ, & liguſtrum teſſeris aptiſſimnm vocat Plin. lib. XVI. c. 18. Oſſeas & æneas dedit Thomaſinus, Æmonienſis Epiſcopus, de teſſ. hoſpital. c. 16. Vitreas aliquot apud Puteanum ſe vidiſſe, Reineſius ait, in append. Inſcript. pag. 1017. Inter hoſpitii ſymbola illis inſculpta, etiam olivam fuiſſe, Cotta conjecit ex *l. ult.* §. 19. *D. de muner. &. hon.* ubi legendum putat: *Eleamphoria & hoſpitatura apud Alexandrinos patrimonii munus exiſtimatur*: ſed ridicule, judicio Gothofredi: nam *Elemporia*, ut Florentiæ legitur, vel ἐλαιεμπορία eſt munus olei publici coemendi, uti ἐλαιῶνες curatores olei emendi cauſa creati dicuntur in eadem *l. ult.* §. 5. Ex ſententia vero Cottæ ἐλαιοφορία emendandum fuiſſe, notat Schilter. de jure hoſpitii diſſ. 1. §. 32. alii etiam retinent *oſpraturam*; & minutarum

fru-

frugum leguminumque coëmtionem explicant. Magis huc pertinet, quod Lyſias orat. XVIII. memorat, Deum Pyrilampum, triremium in Cyprum navigantium præfectum, σύμβολον, ſive hoſpitalem teſſeram, a rege Magno phialam auream accepiſſe. Et quia de publico hoſpitio inprimis agimus, juvabit novum prorſus monumentum illuſtraſſe, quod Eruditisſimus Montfauconius nuper in lucem protulit, tom. III. Antiq. p. 362. lib. V. c. 29. Manum nimirum æneam, humanæ manus magnitudinen præ ſe ferentem, in cujus vola inſcriptio Græca: ΣΥΜΒΟΛΟΝ. ΠΡΟΣ. ΟΥΕΛΑΥΝΙΟΥΣ. Non hic inquiram, a quo populo Velauniis, Galliæ Aquitanicæ cultoribus, ſymbolum hoc datum fuerit: num ab extero quodam, an ab alio Gallicæ nationis: Druides namque in publicis privatiſque rationibus, Græcis literis uſos eſſe, docuit nos Cæſar lib. VI. de B. G. c. 14. & Strabo tantum Græcarum litterarum ſtudium Gallis tribuit ut τὰ συμβόλαια, Græce conſcriberent, lib. IV. pag. 181. Gallos quoque, ab antiquis temporibus, ſymbolorum amantes fuiſſe, ex Plinio lib. XXIX. c. 3. & Diodoro Siculo lib. V. Bibl. abunde conſtat. Et quamvis Cæſaris tempore, ut ipſe l. VII. c. 77. refert, Velaunii non ſui juris, verum ſub imperio Arvernorum eſſe conſueverint, Strabo tamen

lib. IV. pag. 190. *Vellaunii*, ait, *qui olim Arvernis adſcribebantur, nunc pro ſe civitatem conſtituunt.* Fieri ergo potuit, ut Arverni ipſis hoc pacis, fœderis & concordiæ ſymbolum dederint; pariter ac Cæſar nominatim, apud Æduos dextras exertas, *inſigne pacatis*, fuiſſe ſcribit lib. VII. c. 50. cum alius ritus bellicum fœdus ſanciendi, *collatis militaribus ſignis, quo more eorum graviſſimæ cæremoniæ continentur*; apud eundem Cæſarem receptus memoretur, lib. VII. c. 2. Sed clariſſima ſunt loca Taciti lib. I. Hiſt. c. 54. *Miſerat civitas Lingonum, vetere inſtituto, dona legionibus, dextras, hoſpitii inſigne.* & lib. II. Hiſt. c. 8. *Centurionem Siſenam, dextras, concordiæ inſignia, Syriaci exercitus nomine, ad Prætorianos ferentem*, proponit. Illuſtrantur hæc ex nummis, in quibus duæ dextræ junctæ, cum inſcriptione: CONCORDIA EXERCITUUM, aut FIDES PRÆTORIANORUM; vel dextræ, perticis ſignorum militarium impoſitæ; vel manus in nummis coloniarum Auguſti imagini additæ conſpiciuntur, apud Spanhem. de Præſtant. & uſu numiſm. Diſſ. III. pag. 163. Baptiſta etiam Caſalius, hujuſmodi dextram, hoſpitii ſymbolum, ex ſuo muſeo depinxit. de conviv. vet. c. 3. in theſ. Gronov. tom. IX. pag. 158. & variæ ejuſmodi tabulæ hoſpitales, quibus populi populos,

vel

vel municipia ſingulos, in ſuam tutelam & mutuam confœderationem receperunt, apud Octavium Rubeum in monum. Brixienſibus & Thomaſinum de Teſſeris hoſp. c. 2. 3. & 16. depinguntur. Illud autem in hac teſſera memorabile eſt, quod manus ænea σύμβολον appellatur, id eſt *hoſpitii* & *concordiæ inſigne*, ut Tacitus d. l. Cauſam aperit Virgilius lib. XI. Æneid. 164. *nec fœdera, nec quas Junximus hoſpitio dextras.* Cicero pro Rege Dejot. c. 3. *Per dextram te iſtam oro, quam Regi Dejotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti.* Nam ſicuti jus hoſpitii ritu dextræ datæ contrahebatur, ſic etiam veterum hæc erat ſalutatio, ut hoſpites primum adventantes manibus prehenderentur. Ita Pylii Telemachum, & Autolyci filii Vlyſſem exceperunt, apud Homerum Odyſſ. III. & XIX. Sic etiam Pallas Æneam apud Virgil. lib. VIII. Æneid. vſ. 124.

Excepitque manu dextramque amplexus inhæſit.

& Latinus de Ænea lib. VII. vſ. 264.

Si jungi hoſpitio properat, ſociusve vocari,
Adveniat: vultus neve exhorreſcat amicos,
Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe Tyranni.

Neque vero teſſeræ tantum illæ hoſpitales, ſed ipſa etiam pacta publica, quæ inter libe-

ras urbes, reges, aut nationes peregrinas convenerant, ut ſibi invicem jus redderent, Græcis σύμβολα dicebantur; ut ex Demoſthene & Iſæo Harpocration, eumque ſecutus Suidas in σύμϐολα; ex aliis Henricus Valeſius, in notis ad Mauſſacum plenius oſtendit. Livius lib. XXXIX. c. 26. *formulam juris exequendi:* Ælius Gallus apud Feſtum *reciperationem* appellavit. Erravit certe Turnebus lib. II. Adverſ. c. 30. ubi Ariſtotelis locum lib. III. Polit. c. 1. τοῦτο γὰρ ὑπάρχει καὶ τοῖς ἀπὸ συμϐόλων κοινωνοῦσι: *hoc enim etiam licet iis, qui communicant vi teſſerarum*, de teſſeris Græcorum privatis, quæ in pacto convento, loco tabularum & ſyngrapharum fuerint, interpretatur: id quod præcedentia ſatis refellunt. Alium non abſimilem errorem interpretis Sozomeni lib. VII. Hiſt. eccl. c. 9. Petavius ad Juliani epiſt. 35. pag. 121. notavit.

CAPUT XII.

De Digitis Minervæ ſacris, et annulo honoratis, ad *l.* 22. *§.* 5. *D. qui teſt. fac. l.* 77. *§.* 21. *de leg. lib.* 2. & *tit. D. de jur. aur. ann.*

QUod ſi ergo tam frequens locus manibus eſt tributus; videamus num ex Digitis quoque

quoque ſymbola ſint petita, quorum admotione demum apta fit manus, & in rerum natura alteram quaſi naturam efficere conatur. Minervæ eos ſacros fuiſſe, ſupra diximus; idque non uno digito, in Europæ muſeis reperto, Cl. Begerus in Theſ. Brand. probavit. Digitis veteres numerabant, dicta monſtrabant & micabant: cum ſcilicet digitis alterius ſubito certo numero extentis, alter obſtructus numerum eorum divinatione aſſequi conabatur, non in luſibus tantum, ſed etiam in macello & laniorum tabernis: donec Turcus Apronianus, Præf. urbi, utilitate ſuadente, conſuetudinem micandi ſubmovit, & ſub exagio potius, id eſt πρὸς ςαθμὸν, pecora vendi, quam digitis conludentibus ea tradi voluit, apud Grut. Inſcr. pag. 647. v. Caſaub. ad Suet. lib. II. c. 13. Notum eſt, ut Pantomimi manibus & digitorum nodis ac flexibus actus explicarint, quos Lucianus ideo χειροσόφȣς, id eſt manu ſapientes appellavit, περὶ ὀρχήσεως; ſicut σοφαὶ χειρῶν δακτυλαὶ, *ſapientes manuum digiti* apud Leontium Antholog. lib. IV. dicuntur. Digitum medium oſtendere inſignis contumeliæ fuit indicium, apud Græcos & Latinos. v. Diog. Laërt. lib. VI. n. 34. Arrian. lib. III. ad Epict. c. 2. Juvenal. ſat. X. vſ. 53. *mediumque oſtenderet unguem.* Ut premere pollicem

 eſt

eſt laudare, auctore Plinio lib. xxviii. c. 2. ita pollicem vertere, damnantis erat, Juvenal. ſat. iii. vſ. 36. & *verſo pollice vulgus. Quum libet, occidunt populariter*, v. Politian. Miſcell. c. 42. Turneb. lib. xi. Adverſ. c. 6. Eraſm. chil. 1. cent. 8. n. 46. & Alciat. xii. parerg. c. 9. Autiquitatem computandi per digitos Herodotus, in Thalia, verbis ἐπὶ δακτύλιον συμβάλλεσθαι indicat, & multa de illo, ſolis eruditis cognito more, Beda tom. xi. Theſ. Grævii pag. 1700. Gyraldus dial. 2. Fac. crit. Gruteri pag. 376. t. ii. & Wowerius de Polymathia c. 7. docuerunt. Quemadmodum hodie emtores aut conductores, vulgo *mynders*, viva voce *myn*, ſignum dant; ſic olim ſectores aut mancupes manu digitove ſublato licitabantur in auctione, & oſtendebant, ſe opus illud faciundum redimere, & conducere velle. Hotmanus lib. xi. obſ. c. x. diſputans contra Lipſium lib. 1. var. lect. c. xi. ita diſtinguit: licitatores digitum in turba tollebant, ut audirentur; at ubi a Cenſoribus addicta res erat, tum manceps manum totam tollebat. Feſtus: *Manceps dicitur, quia manu ſublata ſignificat, ſe auctorem emtionis eſſe.* Cicero lib. 1. in Verrem c. 54. *digitum tollet Junius patruus.* & lib. iii. c. 11. *qui digito licitus ſit.* Manilius lib v. *Nonnullo careat digito*, ubi plura Joſephus Scaliger

in

in notis. Meminit quoque Ambroſius lib. II. ep, I. *licitatorem non pertulit*, *aut tollentem digitum non vidit*. & vetus Horatii interpres ad lib. II. ſat. 8. illa verba: *Indice monſtraret digito*, ſcribit: *Publicani ſublato digito licitationem vectigalium faciebant.* Cauſa hujus ritus non longe petenda eſt: cui enim ignota eſt Atticorum χειροτονία, a τείνω, tendo, attollo dicta? per quam populus vacuas, nec ſordibus inquinandas manus porrigens, ſuffragia ferebat, & aſſenſum, omneſque fere affectus ſignificabat, ex vetere inſtituto. Erat Athenis quoque modus ſuffragii per διαχειροτονίαν ferendi, quando præco, duabus rebus propoſitis, utra placeret, manibus promiſſis, declarari poſtulabat: qua de re Scholiaſtes Æſchyli in Supplicibus, Harpocration & Suidas. Atque ita Horatius, Conſul Romanus, dextras & clamorem, ob univerſalem conſenſum & ſuffragationem, vocat *indices voluntatis & virtutis*, apud Liv. lib. III. c. 62. Valer. Flaccus lib. I. Argonaut. *dextraque ſequuntur verba ducis.* Poëta Mantuanus phantaſ. 2. *Ac cernens fidem digiti nomenque Ghibelli.* Multa id genus alia *digitis linguoſis*, ut vocat Senator lib. IV. Epiſt. 51. diverſimode nimirum complicatis vel expanſis, & *manu loquaci*, ut ait Petronius, gerebantur. Gladiatores victi digitum tollebant, oratores ad digitum

N 5 pugna-

pugnabant, alii poſita palma ad digitum concurrebant, qua de re Lips. lib. 11. Saturn. ſerm. c. 21. & Salmaſ. ad Vopiſci Carinum c. 19. videantur. Calpurn. Ecl. 11. vſ. 25. de ludo, qui Græcis ἐπαλλάξις τῶν δακτύλων, Latinis micatio dicitur:

Et nunc alternos magis ut diſtinguere cantus
Poſſitis, ter quisque manus jactate micantes
Nec mora, decernunt digitis, prior incipit
Idas.

Nos, miſſis illis, quæ ad Jurisprudentiam non pertinent, potius examinemus, quod Aulus Gellius lib. x. Noct. Attic. c. 10. ex Apionis Grammatici libris Ægyptiacis, refert, veteres Græcos & Latinos, annulum habuiſſe in digito ſiniſtræ manus, qui minimo proximus eſt, quod infectis apertiſque humanis corporibus, repertum fuerit, nervum quendam tenuiſſimum ab eo uno digito ad cor hominis pervenire; hinc enim ratio videbatur peti poſſe, cur Ulpianus in *l. 22. §. 5. D. qui teſt. fac. poſſ.* ſcripſerit, magis eſſe, ut ſignatores teſtamenta annulo tantum ſignare poſſint, dum tamen habeat χαρακτῆρα: nec enim deſunt, qui ad ſubtiles & myſticas rationes confugiant, aut, quod ſibi fingunt, abſurdi tollendi cauſa, cum Hotmano lib. 1. Obſ. c. 22. particulam *non* Ulpiano invito addant. Verum ſicut ratio illius rei,

rei ex uſu quotidiano annuli, velut ſignandi cauſa apud omnes ingenuos reperti, derivari poteſt, ne monetam aliudve id genus in ſignando adhibere liceret; quia ingenui hominis fidem annulus ſignatorius indicabat, auctore Macrobio lib. VII. Sat. c. 13. ita Apioni nugas ſuas facile relinquimus, magiſque fidem habemus Atejo Capitoni, apud Macrobium lib. VII. Saturn. c. 13. exiſtimanti, uſum annulorum dextræ exemtum, & in digito ſiniſtræ conſtitutum eſſe, quod hæc minus negotiorum gerit, neve lapilli pretioſi crebro motu frangerentur. Illud etiam hoc loco obſervandum eſt, fruſtra hæſitare nonnullos, cur Papinianus in *l.* 77. §. 21. *D. de leg.* 2. ſimplicem clavium & annuli traditionem, a patre moriente factam, diſtinxerit ab ea, que cuſtodiæ cauſa fieri ſolebat: nam uti in contrahendis nuptiis claves & annulum ſignatorium novæ nuptæ tradere moris erat, non ad partus ſignificandam facilitatem, ut Feſtus ait, in voce *clavem*; ſed quia claves & ſigilla dominii, poteſtatis, vel adminiſtrationis ſunt ſymbola, ita morientes annulum ſuum tradere iis ſolebant ſignatorium, quos vel heredes vel cuſtodes bonorum ſuorum eſſe vellent. Ex variis Valerii Maximi, Diodori, Curtii, Juſtini, Egeſippi & Suetonii teſtimoniis teſſeram hanc illuſtrarunt

runt interpretes ad Geneſ. c. 41. vſ. 42. Caſaubon ad Suet. Aug. c. 94. Briſſon de form. lib. VII. pag 620. Kirchmannus de annulis c. 22. Guil. Fornerius lib. 1. Select. c. 3. &, qui ejus ſcrinia compilavit, Foppius ab Aezema lib. II. Diſſert. jur.civ. c. 26. Ceterum annulos aureos ſolis ingenuis ferre licuiſſe, eosque Ordinis Equeſtris ornamentum fuiſſe, ex Plinio lib. XXXIII. H. N. c. 1. tralatitium eſt; & Aſconius Pedianus in IV. Verr. *ingenuitatis ſigna* appellavit. Unde liberti ditiores, qui quadringenta millia in bonis habebant, jus aureorum annulorum a Principe impetrabant, ut non modo ingenui, ſed & Equeſtris dignitatis haberentur *l.* 11. *D. de Sct. Silan.* Tacit lib. 1. Hiſt. c. 13. Suet. Vitell. c. 12. id quod licet ſub libera republica non prorſus ignotum & a Cicerone lib. v. in Verr. c. 80. indicatum fuerit, Plin. lib. XXXIII. c. 2. perſtringit: *Paſſim ad ornamenta annulorum, etiam ſervitute liberati tranſiliunt.* Verum imago magis ingenuitatis, quam ſtatus eis competebat, ſalvo jure patronatus, nec ultra vitam; unde vivebant quaſi ingenui, moriebantur quaſi liberti *l.* 3. *D. de bon. lib.* nec conditio eorum mutata, ſed honor auctus, ait Marcian. *l.* 33. §. 2. *D. de cond. & dem.* Vid Pancirol. lib. 1. Var. lect. c. 14. Ferand. Adduenſ. lib. 1. Explicat. pag. 547.

547. t. 11. Theſ. jur. civ. Lipſ. lib. 2. Electa c. 8. & Kirchman de annulis; qui etiam de annulis, arræ nomine venditori datis, aut ſponſæ muneri miſſis, ad illuſtrandam *l.* 11. §. 6. *D. de act. emt. & l.* 36. §. *ult. D. de donat. int. vir.* quantum ſatis eſt, collegit. Plin. lib. XXXIII. c. 1. *Argumento eſt conſutudo vulgi, ad ſponſiones etiamnum annulo exſiliente, ab eo tempore, quo nondum erat arra velocior.*

Caput. XIII.

Digitorum percuſſionem non fuiſſe ſymbolum cretionis, ad l. 1. & 8. C. Th. de mat. bon. et l. un. C. Th. de cretion.

PErgamus ad quæſtionem vexatam, an Percuſſio digitorum fuerit ſymbolum cretionis apud Romanos? Cujacius variis in locis primus id affirmavit lib. VII. Obſ. c. 18. Paratitl. C. lib. VI. tit. 30. & ad l. 77. de R. J. in cujus ſententiam, nullo licet teſtimonio fultam, alii viri Clariſſimi, ut Petrus Faber lib. 11. Semeſtr. c. 21. Raguell. ad l. fin. C. de emancip. Dionyſ. Gothofred. ad Ulpian. tit. 22. §. 22. & Gravina Opuſc. pag. 294. pedibus ivere. Emundus vero Merillius lib.

IV. Obſc. 34. præter Gloſſas Græcorum, Ambroſii locum urſit lib. III. de Offic. c. XI. *Non ego in adeundis hereditatibus digitorum percuſſiones, & nudi ſucceſſoris ſaltationes notabo, nam hæc etiam vulgo notabilia.* Alteſerra de Fiction. jur. tractat. III. c. 2. provocavit ad verba Ciceron. lib. III. de Offic. 19. quæ etiam Cujac. ad l. 5. de R. J. attigit: *Itaque ſi vir bonus habeat hanc vim, ut ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletium teſtamenta nomen ejus irrepere, hac vi non utatur, ne ſi exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam ſuſpicaturum. At dares hanc vim M. Craſſo, ut digitorum percuſſione heres poſſet ſcriptus eſſe, qui revera non eſſet heres, in foro, mihi crede, ſaltaret.* Fabrotus ad Theoph. in §. fin. Inſt. de Hered. qual. utrumque locum in eandem ſententiam laudavit: ſed Janus a Coſta ad lib. III. Decret. tit. 38. ritus hujus rationem, nondum ante explicatam, hanc dedit, ut cernentes & adeuntes, ita ſe heredes & dominos eſſe teſtarentur: quia domini in familia, omnia fere manu & digitis imperare ſolebant; idque probat ex notiſſimis Petronii c. 27. & Taciti locis XIII. Annal. 23. Si meam ſententiam quæris, Davum equidem, non Oedipum me eſſe profiteor. Scimus, Romæ varia in actibus legitimis dicis cauſa eſſe facta, & ſymbo-

bola ſæpe adhibita, quorum haud alia ratio, quam quod ita per manus traditum eſſet, ex ruderibus opacæ vetuſtatis. Cretionis quoque multa ſolennia, nobis forte non ſatis cognita, fuiſſe, ex eo conjicere licet, quod *cretionis ſolennitas* in l. un. C. Th. de Cret. & bon. poſſ. *ſcrupuloſa ſolennitas* l. 8. C. Th. de Mat. bon. & *cretionis commentum* in l. 1. C. Th. eod. memoratur. Pariter ac Papinianus *adoptionis commentum* dixit, in l. 76. D. de condit. & demonſtrat. ob fictionem filii, qui talis non erat, & *imaginem naturæ*, imo *ludibrium*, quod in adoptione occurrebat. Fortaſſis etiam colore χειροτονίας, vel διαχειροτονίας, ſuperius explicatæ, ſolennitas illa defendi poſſet: aut, ſi mavis, hac ratione, quod heredes, verba cretionis pronunciaturi, non quidem ſexaginta duobus, ut Cujacius volebat lib. IX. Obſ. c. 29. ab Hotmano reprehenſus lib. IX. Obſ. c. 4. tamen multis teſtibus præſentibus, ſibi ſilentium compararint, geſtibus manus, aut percuſſione digitorum: ſicut Paulus verba facturus Actor. XXVI. 1. Perſius Sat. IV. 7. *feciſſe ſilentia turba majeſtate manus*, & Hieronymus ad Ruſticum: *duobus digitulis concrepabat, hoc ſigno ad audiendum diſcipulos provocans.* Aſt quia non de ratione, ſed de veritate ſymboli quæritur, & neutra illarum cauſarum proprium cretionis ſymbolum eſ-

efficit: magis eſt, ut cum Viris Clariſſimis, Hotmano lib. x. Obſ. c. 7. Reinoldo Varior. c. 14. & Schultingio ad Ulpian. tit. 22. §. 28. dicamus, ritum hunc, ex verbis Ciceronis & Ambroſii, ſupra laudatis, male confictum eſſe. Neque enim Tullius loquitur de cretione hereditatis jam delatæ, ſed de favore teſtatoris, nullo negotio obtinendo, ut heredes ſcribamur. Idem *digitis concrepare* ex proverbio ponit, pro exemplo minimæ actionis; ſicut eodem ſignificatu ipſe & alii *digitum exſerere*, *proferre*, *porrigere* dixerunt, pro nullo negotio ac levi quodam ſono & nutu obtinere, uti Turnebus lib. xx. Adverſ. c. 13. & lib. xxix. c. 30. Caſaubonus ad Perſii Sat. v. & Grævius in addit. ad Fabri theſ. v. *digitus* oſtenderunt. An vero Ambroſius, hujus rei ignorantia lapſus, crediderit, Ciceronis ævo, cretionem hereditatis ſymbolo percuſſionis digitorum paractam eſſe, an vero mores ſuæ ætatis perſtringere voluerit, incertum eſſe videtur: necdum tum temporis ſcrupuloſa cretionum Solennitate penitus amputata, ut Tribonianus nobis perſuadere voluit, in *l.* 17. *C. de Jure delib.* quam decurtatam ex ſpeciali *l.* 8. *C. Th. de Bonis mat.* depromſit. At credamus licet, crepitus digitorum, & mage ſaltationes nudi heredis, ab actu tam ſolenni, & moribus

gra-

graviſſimis Romanorum alienum fuiſſe. Saltatio quidem gaudii & deliciarum comes erat, & in conviviis hilares, Salii in pompis & ſacris; matronæ in feriis ſolemnibus, mimi ac pantomimi in ſcena fabulas ſine voce ſaltare ſolebant, uti ex Dionyſio, Horatio, Seneca aliisque docuit Cl. Græviuss ad Ciceron. lib. I. de Off. c. 42. Addo Quintilian. lib. XI. Inſtit. orat. c. 3. *Geſtus quantum habeat in oratore momenti, ſatis vel ex eo patet, quod pleraque etiam citra verba ſignificet. Quippe non manus ſolum, ſed nutus etiam declarant noſtram voluntatem, & in mutis pro ſermone ſunt, & ſaltatio* (niſi malis *ſalutatio*) *frequenter ſine voce intelligitur atque afficit, & ex ingreſſu vultuque perſpicitur habitus animorum.* Servi quoque venales, ad corporis ſanitatem vel alacritatem oſtendendam, juſſu mangonis, medio in foro ſalire debebant, ut Propertius indicat lib. IV. eleg. 3. denique motus doceri Jonicos matura virgo gaudebat, ut ait Horatius, ſeculi ſui mores perſtringens, lib. III. Ode 6. At licet non omnis ſaltatio Romæ fuerit probroſa, ſed laſciva, mollis, & *elegantior, quam neceſſe eſt probæ*, ut ait Salluſtius; tamen viro ingenuo turpe erat in foro ſaltare, quum nemo Romæ ſaltaret ſobrius, niſi forte inſaniret; neque in ſolitudine, neque in convivio honeſto, ut docet Cicero pro L. Muræna c. 6. Idem ap-

poſite ad rem præſentem lib. III. de offic. c. 24. *Quid? ſi quis ſapiens rogatus ſit ab eo, qui eum heredem faciat, cum ei teſtamento ſeſtertium millies relinquatur, ut antequam hereditatem adeat, luce palam in foro ſaltet, idque ſe facturum promiſerit, quod aliter eum heredem ſcripturus non eſſet: faciat, quod promiſerit, nec ne? Promiſiſſe nollem, & id arbitror fuiſſe gravitatis: ſed quoniam promiſit, ſi ſaltare in foro turpe ducet, honeſtius mentietur, ſi ex hereditate nihil ceperit.* Neque aliter de crepitu digitorum habendum eſt, quo non niſi domini ſuperbi mancipiis viliſſimis, ut v. gr. vas obſcœnum adferrent, imperabant, quia oris alloquio ſervulos non dignabantur, prorſus ac canibus noſtris accidit, uti ex Petronio, Martiale aliisque notum eſt. Mihi unicus ſufficiet Clemens Alexandrinus lib. II. Pædagog. c. 7. *Digitis expreſſi ſoni, quibus accerſuntur famuli, cum ſint rationis expertes ſignificationes, ratione præditis hominibus vitandi ſunt.*

Caput. XIV.

De cinctu lateris Marti dicato, et de teſtamento in procinctu, ad §. 1. *Inſt. de teſt. ord.*

QUi Romæ olim militiæ nomen dabant, non prius militum numero habebantur, quam jurejurando adacti, in album relati & gladio cincti eſſent. Cingulum enim proprium fuit inſigne militum, ſicut latus clavus Senatorum & toga civium Romanorum; quia omnes, qui militabant, zona dextro humero impoſita, & ad latus ſiniſtrum deſcendente cincti incedebant, auctore Servio ad lib. VIII. Æneid. vſ. 724. unde *ſumere cingulum*, pro dare militiæ nomen, frequenter occurrit. Eo etiam alludit Chriſtus, cum Apoſtolis ſuis præcipit, ut lumbos haberent ſuccinctos Luc. XII. vſ. 35. & Paulus Epheſios ſuos ſtare jubens, lumbis circumcinctis cap. IV. vſ. 14. ne cum expeditionis dies venerit, remiſſis & fluentibus veſtimentis, impediti reperirentur, uti id explicat Ambroſius ſerm. 66. & Cyprian. de verit. Eccleſ. Aperte Ulpianus & Modeſtinus cingulum & gladium *inſignia militaria* appellarunt *l.* 2. §. 2. *D. de his qui not. l.* 27. §. 2. *D. ad leg. Corn. de falſ.* Imperatores militiam per

cingulum, & *ſine cingulo homines* eos, qui non militant, interpretantur *l. ult. C. de juriſd. omn. jud. l. ult. C. de injur.* Inde etiam militantes *præcincti* dicti *l.* 3. *C. Th. de poſtul.* & *cinguli ſacramentum l.* 24. *C. Th. de Judæ* Enimvero hæc militiæ Romanæ inſtitutio erat, ne quis diſcinctus miles in caſtris eſſet, neve quiſquam, niſi accinctus, operaretur: id quod ſeveri diſciplinæ cenſores adeo exacte obſervarunt, ut qui ſecus feciſſet crimen morte piandum patraſſe videretur. Exemplum dedit Tacitus lib. XI. Ann. l. c. 18. referens, militem, quia vallum non accinctus, & alium, quia pugione tantum accinctus foderet, a Domitio Corbulone morte punitos eſſe. Apud Vegetium quoque lib. III. c. 8 *cincti gladio foſſam aperiunt*, & alii inter militaris pœnæ genus referunt, ut milites vel ſtare, vel opus facere diſcincti cogerentur. Briſſonius lib. II. ſel. ant. c. 7. ab hoc cingulo derivat teſtamenta in procinctu, eique favere videtur, tum quod miles non prius, quam cingulum acceperit, jure militari teſtari potuit *l.* 25. *& l.* 43. *D. de teſt. mil.* tum quod Honorius & Theodoſius in *l.* 3. *C. Th. de poſtul.* inde militaris teſtamenti formam repetunt, *quam militantibus ex jure præcinctis, cinguli prærogativa detulit.* Servius vero ad lib. VII. Æneid. ℣, 612. a cinctu Gabino vocem illam enatam exiſtimat, ſcribens: *Gabinus*

binus cinctus eſt toga ſic in tergum rejecta, ut ima ejus lacinia revocata hominem cingat. Hoc autem veſtimenti genere veteres Latini cum necdum arma haberent, præcinctis togis bellabant, unde etiam milites in procinctu dicuntur. Hoc rurſus utebatur Conſul bella indicturus; ideo cum Gabii, Campaniæ civitas, ſacris operarentur, & bellum ſubito eveniret, tunc cives togis ſuis ab aris ſunt ad bella profecti, & adepti victoriam. Propter quod omen tali habitu ſemper utebantur in bello. Hæc ille. Idem ſcribit Paullus Diaconus, Feſti Epitomator: *Procincta claſſis dicebatur, cum exercitus cinctus erat Gabino cinctu, confeſtim pugnaturus.* Verum præterquam quod hiſtoriola illa de Gabiis a Servio tradita, apud alios non reperitur, & ipſe Servius alibi ad lib v. Æneid. ℣. 750. aliter cinctum illum explicavit: *toga parte caput velati, parte ſuccincti*; illud veriſimile quibusdam videri non poſſet, Latinos longis togis in bello uſos, aut ſi uſi, ipſa toga, non cingulo quodam eos ſuccingi maluiſſe; aut ab improviſa illa Gabiorum pugna omnes populos Latinos ſumſiſſe morem, ut milites, boni ominis cauſa, ejusmodi habitu pugnarent; quum ſacris operantes & pacis negotia tractantes illo potius uſos eſſe legamus. Apud Livium enim lib. v. c. 46. *C. Fabius Dorſuo, Gabino cinctu ſacra manibus*

gerens, memoratur. In Cenotaphiis Piſanis, ſacrificio Diis manibus facto, immolantes, *cincti Gabino ritu*, ſtruem lignorum accendere jubentur, apud Noriſium Cenot. Piſ. lib. III. c. 7. Conditores quoque urbium, *incinctos ritu Gabino*, ſtivam incurvam tenuiſſe, ex Catonis Originum libris, Servius tradidit ad d. vſ. 750. & Lucanus denique Pontifices minores in publica ſupplicatione ita præcinctos exhibet, lib. I. vſ. 595.

Pontifices ſacri, quibus eſt permiſſa poteſtas,
Turba minor ſequitur ritu ſuccincta Gabino.

Verum hæc non ſunt tanti, ut Servium penitus repudiandum eſſe exiſtimemus: quamvis enim ad ſacerdotes tranſlatum fuerit illud cingendi genus, nil tamen obſtat, quo minus cum eruditiſſimo Turnebo lib. XXII. Adverſ. c. 20. idem militiæ proprium fuiſſe dicamus, aut ſaltem Ducum quorundam & augurum, qui auſpicia pro victoria obtinenda capiebant, & ceremonia quadam ſacra, belli cauſa, defungebantur. Sic P. Decius pater, poſtquam ſe devoverat in bello Latino, *incinctus cinctu Gabino, armatus equum inſiluit, ac ſe in medios hoſtes immiſit*, apud Liv. lib. VIII. c. 9. Eadem ſpecie filius ejus, in bello Samnitico, *incinctus Gabino cultu*, pro populo ac legionibus ſe devovit, auctore eodem Livio lib. X. c. 7. Idem habitus Conſulis, qui portas fani, belli

belli tempore, aperiebat, apud Virgil. lib. VII. Æneid. vſ. 612. Atque huc mihi referenda videtur ratio, propter quam Cicero lib. II. de Nat. Deor. c. 3. teſtamenta in procinctu periiſſe ſcribit, his verbis: *Itaque maximæ reipublicæ partes, in his bella, quibus reip. ſalus continetur, nullis auſpiciis adminiſtrantur; nulla perennia ſervantur, nulla ex acuminibus; nulli viri vocantur, ex quo in procinctu teſtamenta perierunt. Tum enim bella gerere noſtri duces incipiunt, cum auſpicia poſuerunt: at vero apud majores tanta religionis vis fuit, ut quidam Imperatores etiam ſe ipſos Diis immortalibus capite velato verbis certis pro republica devoverent.* Forſan ergo augures, qui, Martio diſcrimine inſtante, ſpem prœlii ex acuminibus præſumebant, ut Arnobius loquitur lib. II. pag. 91. vel viri boni nominis, ut *Victor, Salvius & Statorius*, primi ad prœlium faciendum evocati, ejusmodi habitu fuerunt; aut ſane cum Fabretto ad columnn. Traj. c. IV. tentari poſſet, cinctum illum antiquis temporibus toti exercitui fuiſſe communem, quia armis tractandis aptiſſimus erat, *toga ſuper humerum ſiniſtrum obvoluta, dextro nudo*, uti Perſii Interpres eum deſcripſit ad l. v. vſ. 31. Idipſum firmat Feſtus: *Endo procinctu, in procinctu: ſignificat autem, cum ex caſtris in prælium exitum eſt. Procinctos quaſi præcinctos*

atque expeditos: *nam apud antiquos togis incincti pugnaſſe dicuntur*: ait incincti *togis*, quod nullo baltheo vel zona, ſed ipſa veſte & togæ lacinia cincti pugnabant. Plutarchi quoque auctoritate hoc colligitur, qui in Coriolano, moris fuiſſe ſcribit, ut in acie conſtituti, & jam clypeos ſumturi, *καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον* togamque præcincturi teſtamenta conderent. Hoc ipſum denique ipſa vox antiqua ſatis declarat: *procingere* enim eſt *præ*, id eſt *ante* cingere, quæ vox baltheo, cui gladius inſertus geſtabatur, & ordinis equeſtris cingulo poſterioris ævi, non ſatis convenit. Virgilius lib. XII. Æneid. vſ. 941.

- - infelix humero cum apparuit alto
Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum inſigne gerebat.

Antiquam vocem appellavi; quia in Numæ lege, de opimis ſpoliis, & in lege Flaminia, *claſſem procinctam* Veteres exercitum armatum interpretati ſunt, apud Feſtum v. *opima* & Gell. lib. x. c. 15. qui & alibi lib. 1. c. XI. rem bene exprimit: *quum procinctæ claſſes erant, & inſtructæ acies, cœptumque in hoſtem progredi.* Uſus eadem voce metaphorice eſt Ovid. lib. 1. ex Ponto ep. 8. vſ. 10.

Hæc

Hæc in procinctu carmina facta leges.

Quintilian. lib. x. Inſt. orat. c. 1. *niſi tanquam in procinctu paratam quidem ad omnes caſus habuerit eloquentiam.* & ſenior Quintilian. decl. 3. *Neque in militiam graviſſimo aſperrimoque bello ita venit, ut neſciret ſibi mortem in procinctu habendam.* Sæpe etiam occurrit apud Ammian. Marcellin. lib. XXII. c. 12. *Omne ſtudium in differendo procinctu ponentes*, & lib. XXV. c. 4. *per varios procinctus*, paci oppoſitos, *ſtans interdum, more militiæ, cibum brevem vilemque ſumere viſebatur.* Eandem quoque Reineſius reſtituit Petro Damiano, in hymno de gloria Parad. epiſt. 53. ad Daumium. Nec opus eſt, ut plures exteros requiramus: unus inſtar omnium eſt Ulpianus, qui quod initio *l. un. D. de bon. poſſ. ex teſt. mil.* hoſticulum, quaſi hoſticum locum, appellarat, mox ita exprimit: *tamen qui in procinctu verſantur, cum eadem pericula experiantur, jura quoque eadem ſibi vindicant.*

CAPUT XV.

De cinctis Horatiis et diſcinctis militibus ac magiſtratibus: ad l. 3. D. ſi pars hered. pet. et l. 2. §. 2. D. de his qui not. inf.

SUperioris capitis occaſione illuſtrare conabimur *l.* 3. *D. ſi pars her. pet.* in cujus necem non uno loco Eruditi conſpirarunt. Quod ſi enim pater, relicto uno herede filio, & uxore prægnante, moriatur, difficultas erat, quanta portio ventri ſervari debeat, quia quot naſcituri, incertum eſſet, quamvis in rerum natura certum ſit, unum aut plures naſcituros: *nec enim rerum naturam intuendam, in qua omnia certa eſſent, cum futura utique fierent, ſed noſtram inſcientiam inſpici oportere*, ut idem Paulus, eodem lib. XVII. ad Plautium ſcribit, in *l.* 28. §. *f. D. de judic.* Non poterat eorum haberi ratio, qui quaternos, quiniones vel ſeptenos uno partu, in fœcunda Ægypto, quandoque editos tradebant, quia quod raro & portentoſe fit, prætereunt legiſlatores & JCti. Sed cum certum eſſet, tergeminos naſci poſſe, idcirco Prudentes filio jam nato quartam partem hereditatis aſſignarunt, donec partus ederetur.

Hoc

Hoc placuit Paulo erciſcundo, quia *tergeminos Senatores cinctos vidimus Horatios*, & recte! nam Plinius lib. VII. Hiſt. nat. c. 3. èodem exemplo utitur: *Tergeminos naſci certum eſt, Horatiorum Curiatiorumque exemplo; ſuper inter oſtenta ducitur.* Duo autem negotium hic faceſſivere interpretibus præſtantiſſimis: primum, quod *cinctos* vocat Senatores; cum milites, non vero Senatores cingerentur: deinde qui Paulus *videre* potuerit tergeminos Horatios, qui tot ante ſeculis, ſub Tullo Hoſtilio, cum tergeminis Curiatiis decertarant. Summus Cujacius in Comm. ad lib. 8. Quæſt. Pauli in fine, exploſa voce *Horatios*, leviſſima mutatione legendum cenſuit: *Senatores Cincios vidimus*; quia ex Feſto aliiſque nota eſt nobiliſſima familia Cinciorum, ex qua Paulus tres uno partu editos videre potuerit. Deſiderius Heraldus cap. 39. Obſervat. de priſcis illis Horatiis Paulum rectius accipit, ſed quia illos Senatores fuiſſe, nullibi proditum eſt, pro *Senatores* legit *Servatores*, & pro *cinctos* mavult *pictos*; vel *cuncti vidimus*, id eſt omnes novimus & ſcimus, rem eſſe certam. Salmaſius Obſ. ad jus Att. & Rom. c. 15. ejectis Horatiis, *cinctos* mutat in *Quintilios*, Menagius in *Quintos*, Amœn. jur civ. c. 31. Janus a Coſta ad c. 4. X. de judic. non incommode putat legi poſſe: *cunctos vidimus*

ho-

honoratos, vel, remoto emplaſtro *Horatiorum*, Paullum ſcripſiſſe, tanquam de re certiſſima: *Sed & tergeminos Senatores cinctos vidimus*, id eſt non ſolum Senatores, ſed etiam magiſtratu & dignitatibus civilibus functos. Ego quidem non ignoro, ſolitos gladio accingi antiquitus, quibus merum concedebatur imperium; recentioribus temporibus etiam Magiſtratus, pariter ac milites, cinguli honore decoratos video, & cingulum de omni dignitate civili & militari, in utroque Codice, apud Sidonium & Caſſiodorum uſurpari. Nam ſicut militiæ non unum genus eſt, & qui circa latus principis agunt, vel alia quadam dignitate gaudent. militare dicuntur *l.* 1. *C. de tabular. l. un. C. in quib. caus. mil. fori.* ita *cingulum* dignitatis honorem Anaſtaſius interpretatur, in *l. ult. C. de dign. omn. jud.* & ζώνη in *Nov.* 62. *c.* 2. eſt Magiſtratuum παράσημον, ut & ζώνη & στρατεία apud Chryſoſtomum, Zoſimum, Ruffinum & Sozomenum pro eodem ſæpius accipiuntur. Beatus Auguſtinus, ſive Ambroſius ſerm. 7. *Hic jam cognoſcere ſe debet omnis homo, qui militat, non enim tantum de his militibus ſcriptura loquitur, qui armata militia detinentur, ſed quiſque militiæ ſuæ cingulo utitur, dignitatis ſuæ miles adſcribitur.* Anaſtaſius in Sylveſtro: *Sylveſter conſtituit, ut nullus Clericus propter quamli-*

libet cauſam, in curiam introiret, nec ante judicem cinctum cauſam diceret. Sed hæc poſterioris ævi ſunt, quam ut Horatiorum, aut etiam Pauli temporibus conveniant. *Horatii cincti* ſunt armati, ſuccincti, in prælium euntes, ac minime imbelles; uti Cethegi *cinctuti* dicuntur, apud Horat. Art. poet. vſ. 50. quod, more militari, humerum & brachium dextrum in cinctu nudatum relinquebant: *Exſertique manus veſana Cethegi*, Lucan. lib. II. vſ. 543. Bene igitnr cum Ant. Auguſtino de nom. propr. Pand. c. 5. Pancirolus lib. II. var. lect. c. 27. & Ampl. Bynkershoek lib. III. Obſ. c 8. *cinctos Horatios* in hoſtem ire paratos, & *vidimus*, per accepimus, atque pro certo ſcriptum legimus, interpretati ſunt. Plin. lib. VII. epiſt. 25. *Sunt ut in caſtris, ſic etiam in literis noſtris, plures cultu pagano, quos cinctos & armatos invenies.* Nil vero cauſæ erat, cur idem Auguſtinus ambigeret, an Horatii illi tunc, cum pugnarunt, Senatores fuerint; quidni enim viris fortibus in Senatum adoptatis, pro patriæ ſalute cum Curiatiis Albanis congredi licuit? & nonne major laus eſt, quod iidem arte & Marte præclari laudantur? *Cinctos* enim, *accinctos* & *præcinctos* induſtrios contra negligentes *diſcinctos* vocamus, ut Servius ait ad lib. I. Æneid. vſ. 210. Neque, du-

dubito tres fratres Romæ ſimul Senatores fieri potuiſſe: nam & parentes, liberos & patruos ſimul allectos cooptatoſque legimus, idque ex his, quæ Cicero de ſe & Quinto fratre paſſim ſcribit, abunde conſtat. Ceterum ſicut milites Romanos accepto cingulo, ad militiam promotos, vidimus; ita qui cum ignominia ſacramento *ſolutus* & exauctoratus, detractis armis, ſagulis, ceteriſque inſignibus prius diſcingendus erat, quam caſtris ejiceretur. Auctorem hujus rirus contrarii locupletem habeo Ulpianum in *l.* 2. §. 2. *D. de his qui not. inf. Ignominioſa miſſio totiens eſt, quotiens is, qui mittit, addit nominatim ignominiæ cauſa ſe mittere: ſemper enim debet addere, cur miles mittatur. Sed & ſi eum exauctoraverit, id eſt inſignia militaria detraxerit, inter infames efficit.* Obvia ejus rei apud Livium, Suetonium, Vulcatium Gallicanum in Avidio c. 6. & Herodianum l. 11. c. 3. ſunt exempla, ubi milites diſcincti, ac veſtimentis militaribus exuti, tribunis arma dare juſſi ſunt. Inde *cingulo ſolvi* pro militia exui in *l.* 181. *C. Th. de decur.* & quæ id genus alia huc pertinentia Petrus Faber lib. 1. Sémeſtr. c. 17. late explicavit. Idem vero pœnæ genus a militia armata ad palatinam tranſlatum eſt, ut cingulo ſpoliarentur Magiſtratus dignitate exuti *l.* 4. *C. de SS. trinit. l.* 1. *C. ne rei domin. l.*

3. *C.*

3. *C. de domeſt. & prot. l.* 2. *C. ut nem. lic. in coëmt.* Porro quod Tarruntenus Paternus in *l.* 7. *D. de re mil.* ſcribit, milites transfugas aut proditores non fuiſſe tortos aut capite punitos, niſi prius exauctorati & diſcincti fuerint, id non modo per *l.* 13. *C. eod. l.* 1. *C. d. Sport.* & exemplis, apud Ammian. Marcellinum lib. 24. c. 3. & Plinium lib. VI. epiſt. 31. probatur, ſed ad Magiſtratus quoque, Sacerdotes, & Virgines Veſtales Romæ extenſum fuit. Nam in Publium Lentulum, Catilinariæ conjurationis reum, non prius animadverſum fuit, quam is purpuream Præturæ togam in Senatu exuiſſet, ut Cicero & Salluſtius ſcriptum reliquerunt. Veſtales item, inceſti criminis convictæ, exauctoratæ, ſacerdotioque ſolutæ, vittis ac reliquis ſacerdotii inſignibus, exuebantur, antequam vivæ in ſpecu ſubterraneo, intra mœnia defoderentur, auctore Dionyſ. Halicarn. lib. VIII. c. 103. Nec aliunde quærenda eſt origo degradationis Clericorum, a Juſtiniano firmatæ *Nov.* 83. quæ in Canonibus καταῖρεσις dicitur: nam Hieronymus ad Pammachium eam comparat cum exauctoratione militari, & Bonifacius VIII. in *c.* 2. *de pœn. in* 6. ſcribit: *Actualis, ſive ſolennis coeleſtis militiæ militis, id eſt Clerici degradatio, cum ad eam fuerit procedendum, fiet, ut exauctorizatio ejus, qui militiæ deſervit*

vit armata, cui militaria detrahuntur inſignia. Conjunxit quoque vetus Gloſſarium: *Exauctorare eſt cingulo militem, & clerum ordinibus ſpoliare.* Janus Langlæus lib. XIII. ſemeſtr. c. 1. morem illum regradandorum ſacrificulorum repetiit ex Numeror. cap. XX. vſ. 26 ubi Moſes jubetur exuere ſtolam fratri Aaroni coram omni ſynagoga, quod ob incredulitatem morti addictus eſſet. Idem quoque cap. 2. ſolennem exaugurandi ritum, quo Clerici non tantum eccleſiaſtico veſtitu, ſed ordine & privilegio orbati, magiſtratui civili tradebantur, pœnis promeritis afficiendi, ex jure Canonico explicavit. Adde de variis militum exaugurationibus Cujac. lib. XXVII. Obſ. c. 8. Heraldum Obſerv. c. 22. Lipſium lib. V. de mil. Rom. dial. 19. & Stewech. ad Veget. lib. II. c. 3.

CAPUT XVI.

Genua miſericordiæ; Sinus & Gremium tutelæ et amori conſecrata; ad l. 6. §. 3. C. de Adv. div. judicum, l. 4. C. de Conſul. et ad l. 3. C. de poſt. hered. inſtit.

Quemadmodum frontem Genio, Memoriæ aurem, Fidei dextram & Minervæ digi-

digitos ſacros fuiſſe vidimus, ita Genua nunc ſeſe nobis ſiſtunt, obſervatione plerarumque gentium, Miſericordiæ conſecrata. Grammaticorum doctiſſimus Servius ad lib. III. Æneid. vſ. 607. *Phyſici dicunt, eſſe conſecratas numinibus ſingulas corporis partes, ut aurem memoriæ, hinc eſt, Cynthius aurem vellit & admonuit; frontem Genio, unde venerantes Deum tangimus frontem; dextram Fidei, unde paullo poſt: Atque animum præſenti pignore firmat; genua Miſericordiæ, unde hæc tangunt rogantes.* Cauſam aperit Plinius, quod vitalitas genibus ineſt, lib. XI. Hiſt. nat. c. 45. *Hominis genibus quædam religio ineſt, obſervatione gentium. Hæc ſupplices attingunt, hæc, ut aras, adorant, fortaſſis, quia ineſt iis vitalitas. Namque in ipſa genu utriuſque commiſſura dextra lævaque, a priore parte gemina quædam buccarum inanitas ineſt, qua perfoſſa, ſeu jugulo, ſpiritus fugit.* Primum ergo ſupplices Deorum aut Regum genua tangunt, in precando, aut manus ad genua tendunt. Thetis apud Homerum Iliad. A. vſ. 501. dextra mentum, ſiniſtra genua Jovis attingit, eumque ſupplex alloquitur. Rurſus Iliad Y. vſ. 464. ὁ μὲν ἅπτετο χείρεσι γούνων ἱέμενος λισσέσθαι, *hic quidem tangebat manibus genua cupiens precari.* Plaut. in Rudente act. I. ſc. ult.

Nunc tibi amplectimur genua egentes opum!

Valerius Maximus lib. VI. c. 4. *ſupplices ad genua judicum manus tetendit.* Livius lib. XLV. c. 7. de Paullo Æmilio Conſule, *nec attingere genua paſſus.* Ovidius lib. IX. Met. vſ. 216. *genibuſque manus adhibere parantem corripit Alcides.* Sic ægros Medicorum genua tangere, ait Seneca de brev. vitæ c. 8. & alter Seneca in Herc. fur. act. IV. vſ. 1002.

. . . . . . en blanda manus

Ad Genua tendens, voce miſeranda rogat.

Hinc formula *per genua* orare & obſecrare apud Plaut. Trucul. act. IV. ſc. 3. *Per tua obſecro genua, ut tu iſthuc inſipienter factum, ſapienter feras.* Sueton. Tiber. cap. 27. *Conſularem per genua orare conantem.* Ipſi quippe ſupplices ſimul ambo genua, vel dextrum; aut ſiniſtrum in terram flectebant, tum miſericordiæ movendæ, tum pœnitentiæ & ſubmiſſionis teſtandæ gratia. Apud Moſem Geneſ. XLI. vſ. 43. Ægyptii per præcones jubentur, ante Joſephum flectere genua. Perſæ humi proſtratis corporibus adorabant, auctore Herodoto lib. VII. & Valer. Max. lib. VII. c. 3. De Græcis Theophraſtus Charact. c. 17. καὶ ἐπὶ γόνατα πεσὼν καὶ προσκυνήσας, *nixis genibus adorans.* Romæ item ſupplices, in genua provolvebantur, ſummiſſoque genu vultus in imagine Deorum figebant; & ſicut apud Græcos γονάζεσθαι, ita *genu ſubmittere,*

vel

vel *genibus provolvi* Romanis orare vel ſupplicare notabat. Apulej Mileſ. 6. *tunc genu nixa ſic adprecatur.* Chriſtianos item *de geniculis* adoraſſe, ut Tertullianus loquitur, vulgatum eſt, ex Matth XVII vſ. 14. Marc. I vſ. 7. & Epheſ. III. vſ. 14. eamque in rem Matth Brouërius de adorationibus cap 17. recentem ſeculi quarti aut quinti inſcriptionem, Martyri Alexandro, in buſto Calliſti, poſitam laudavit, ex Reineſio inſcript. pag. 953.

GENVA. FLECTENS. VERO. DEO. SACRIFICATURUS. AD. SUPPLICIA DUCITUR.

Eodem vero hoc Deorum cultu, creſcente adulatione, Imperatores Romani, etiam Chriſtiani, ſe adorari paſſi ſunt. De gentilibus principibus id nemini mirum videri poteſt, qui divinos honores, dum inter homines agerent, affectabant, & paſſim per oppida inter tutelares Deos conſecrabantur. Hinc JUPITER, APOLLO, HERCULES ET MERCURIUS AUGUSTUS, ſæpius legitur apud Gruterum pag. 17. n. 10. pag. 36. n. 7 8. & pag. 46. n. 3. Hadrianus *Olympii* nomine cultus a Græcis, teſte Spartiano; Commodus *Hercules Romanus* dictus, auctore Lampridio: Diocletianus JOVIUS, Aurelianus & Carus DEUS & DOMINUS, in nummis, apud Spanhemium *de præſt.*

num. diſſ. XII. appellantur. Pariter vero ac Aurelius Victor tradidit, Cajum Dei ac Domini nomen primum ſibi vindicaſſe, ita Suetonius lib. VII. c. 2. refert. Lucium Vitellium, miri in adulando ingenii virum, eundem Claudium adorari, ut Deum primum inſtituiſſe: *cum reverſus ex Syria non aliter, adire auſus eſſet, quam capite velato, circumvertenſque ſe, deinde procumbens.* Eundem morem, Domitiano & Heliogabalo probatum, ab Alexandro Severo autem abolitum, & aliquantiſper intermiſſum, retulit Diocletianus, auctore Ammiano Marcellino lib. XV. c. 5. *Diocletianus omnium primus, extero ritu & regio more, inſtituit adorari, cum ſemper antea, ad ſimilitudinem judicum, ſalutatos Principes legamus.* Ex eo tempore crebræ in conſtitutionibus formulæ: adorare imperium *l. un. C. Th. de præpoſ. ſacr. cub.* adorare Principem *l. un. C. Th. de comit. & tribun. ſchol.* adorare æternitatem principis *l. 3 C. Th. de fabricens.* ſerenitatem *l. 1. C. Th. de decur.* clementiam *l. 14. C. qui mil. poſſ.* muricem *l. 1. C. de apparit. præf. urb.* adorare purpuram *l. 6. §. 3. C. advoc. div. judicum l. 4. C. de conſul. l. 7. C. Th. de re mil* purpuram attingere *l. 16. C. Th. de div. off.* purpuram contingere *l. 4. C. Th de domeſt.* adoraturus enim in genua ante Principis pedes procumbebat. vid. Vales.

ad

ad dict. loc. Ammiani & Jac. Gothofred. ad *l. un. C. Th. de præp. ſacr cubic.* Quemadmodum vero Genua miſericordiæ ſymbolum exhibent, ita non minus ac *Sinus* & *Gremium*, educationis, tutelæ, curæ & amoris ſunt argumentum. Genua parentum in lucem editos excipiunt Job III. vſ. XII. & pater inprimis dum infantem recens natum e terra tollit, ac ſuper genua ſua collocat, deinde in gremio fovet ac in ſinu portat. Num. XI. vſ. 12. Proverb. VIII. vſ. 30 Homer. Iliad. IX. vſ. 455. Callimach. Hymn. in Dian. vſ. 4. 5. Ad morem illum allevandi Cujacius lib. XI. Obſ. c. 30. refert illa Juſtiniani *in l. 3. C. de poſt. hered. inſt.* verba: *licet illico poſtquam in terram cecidit, vel in manibus obſtetricis deceſſit.* Quaſi id vellet, poſtumum natum rumpere teſtamentum, licet nulla edita voce, ſtatim deceſſerit, ſimulac terram tetigerit, in quam ab obſtetrice fuerit poſitus, vel jam ante in manibus obſtetricis mortuus fuerit: idque ſecundum ſententiam Sabinianorum, quibus ſatis erat, infantem cum ſpiritu editum eſſe, *l.* 12. §. 1. *D. de lib. & poſt. her.* Quod Cujacius dubie per *forſitan* conjecerat, id Merillius, etiam tecto illius nomine, ſuum fecit, & *haud dubie* morem illum ſignari ſcribit, *in expoſit.* 50. *Decis. cap.* 28. Sed negat Franc. Raguellus ad illam legem, nec ego video,

quomodo puer in illa ſpecie humi poni potuerit, ut a patre tolleretur, qui jam obierat; nec dicit Juſtinianus in terram poſitus, ſed *ceciderit*; nec ſatis conſtat, an illius tempore mos tollendi cognitus fuerit, poſtquam expoſitio infantum jam dudum legibus ſeveris erat ſublata. Olim vero ritu illo infantes in terram deponendi, nil fuit frequentius, apud Græcos & Latinos: ſive quod Opem, Almamque matrem ſalutarent, eamque recens nato propitiam implorarent; ſive ut partum auſpicarentur, an rectus eſſet, quod Varroni viſum fuit lib. 11. de vita pop. Rom. Meminerunt Plautus, Terentius, Seneca, Suetonius, aliique, quos Caranza de partu, Bernartius ad Statium, & Boeclerus in Chreſtomathia Terentiana larga manu collegerunt. Nobis ſufficit vocem *ceciderit* illuſtraſſe. Auctor libri Sapientiæ cap. VII. vſ. 3 *Et ego quoque tactus traxi communem nobis aërem, & in hanc terram iiſdem perpeſſionibus infeſtus decidi.* Plinius lib. VII. prooem. *Natura hominem nudum & in nuda humo natali die abjicit.* Papinius Statius lib. I. Sylv. 2. vſ. 109. *tellure cadentem Excepi fovique ſinu.* Idem Statius lib. I. Thebaid. vſ. 60.

Si bene quid merui, ſi me de matre cadentem
Fovisti gremio & trajectum vulnere plantas
Firmaſti.

Clau-

Claudian. lib. 1. in Rufin. vſ. 39.

. . . *quam prima meo de matre cadentem Excepi gremio.*

Caput XVII.

Pes quodvis rei fundamentum, & ſymbolum poſſeſſionis. Calceus indutus ſignum obligationis, exutus liberationis. Oſculum pedum recipere ſuperbiæ inſolentiſſimæ; ad Deut. XXV. *vſ. 7. et l.* 1. *l.* 3. *§.* 5. *l.* 18. *D. de acq. vel am. poſſ l.* 25. *§.* 4. *D. de aur. et arg. leg.*

Tandem ad Pedes ordo nos perduxit, hominis partes infimas quidem, ſed præſtantiſſimas, quæque non uni ſymbolo locum fecerunt, ſicut Seneca lib. 11. de benefic. c. 34. polyſemum pedis eſſe nomen obſervat, quod ad plura transfertur. Varro lib. IV. de L. L. *Standi*, ait, *fundamentum eſt pes: a quo dicitur in ædificiis area pes magnus, & qui fundamentum inſtituit, pedem ponit:* nam ut pedes totum corpus, ſic planum in ſolo domum ſuſtinet, ac *μεταφορικῶς pes magnus* vocatur. Ita Seneca anguſtam aream *anguſtum pedem* de tranq. an. c. 10. & Auſonius humile ſolum *humilem pedem* appellavit: in

Moſella vſ. 327. Quemadmodum Caput origo & ſumma cujuſque rei eſt, ita pes quodvis fundamentum; ut ex Plauti Aſinar. Act. III. 3. vſ. 139. cognoſcitur:

LE. *Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.*

LI. *Ego pes fui.* AR. *quin nec apparet caput nec pes ſermonum.*

Manus ſunt poteſtatis ſymbolum, pedes poſſeſſionis: nam ſicut res mobiles manibus occupamus, ita pedes immittendo, intrando & circumeundo rerum ſoli poſſeſſionem apprehendimus. Hinc *perambulare terram*, & *calcare planta pedis*, in ſacris literis, vocabula ſunt poſſeſſionis & proprietatis, Geneſ. XIII. vſ. 17. & Joſ. 1. vſ. 3. Poſitio pedum orditur poſſeſſionem; at ſedium poſitio eam perficit. Illud indicat Celſus in l. 18. §. 2. D. de acq. vel am. poſſ. *Si vicinum fundum venditor in mea turre demonſtrat, vacuamque ſe poſſeſſionem tradere dicat, non minus poſſidere cœpi, quam ſi pedem finibus intuliſſem.* Poſterius vero Labeo apud Paulum in. l. 1. D. eod. *Poſſeſſio appellata eſt a ſedibus, quaſi poſitio, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit.* Vulgata legit: *a pedibus, quaſi pedum poſitio*: ſed has nugas jam dudum antiquavit & ratio, & filum Pauli, & auctoritas Mſti Florentini, denique Alciatus ope Codicis ſui profligavit, lib.

1. Diſ-

1. Diſpunct cap. 1. Poſſidere eſt poſſe ſedere, jus habere ſedendi; a pos potens, & ſedeo. Virgilius lib. VII. Æneid. vſ. 193. *patria ſede ſedens.* Alfenus *ſedes ponere l.* 203. *de V. S.* Valentianus & Theodoſius *inſidere* dixerunt, in *l.* 8. *C. de omni agro deſ.* Quid multa? Idem Labeo, apud eundem Paulum, eodem lib. 54. ad Edictum in *l.* 3. §. 5. *D. de acq. poſſ.* Trebatium argumento ab etymologia deducto refellit: *non magis eadem poſſeſſio apud duos eſſe poteſt, quam ut tu ſtare videaris in eo loco, in quo ego ſto, vel in quo ego ſedeo, tu ſedere videaris.* Inanis ergo eſt quæſtio Baldi, Pauli Caſtrenſis & Jaſonis, cur poſſeſſio magis a pedibus, quam ab alia corporis parte nominetur? quamvis iidem meminiſſe debuerint, exordium poſſeſſionis eſſe a pedibus; unde urbs Macedoniæ Acanthos Chalcidenſibus præ Andriis adjudicata eſt, quod illi priores intraverant, auctore Plutarcho Quæſt. Græc. 29. & poſſeſſio pede in fundum poſito arripitur, uti Bractonus lib. II. c. 18. n. 2. ſcribit: *Fiat ſeyſina, ſecundum quod vulgariter dicitur, per fuſtim & per baculum, & ſufficit ſola pedis poſitio, cum poſſidendi affectu, ex voluntate donatoris.* Non vero pes tantum, ſed & Calceus, tutela ejus, rerum variarum ſymbolum fuit, uti ex Achmetis Onirocrit. cap. 229. & Benedicti Balduini

libro ſingulaιi de calceo antiquo, diſcere licet. Nobis cum maxime placet vetuſtiſſima cedendæ poſſeſſionis formula, in Hiſtoria ſacra Ruthæ IV. vſ. 7. *Obtinuit olim in Iſraele in vindiciis & vindicationibus, ad cujusvis, negotii confirmationem; extrahebat homo calceum ſuum, & dabat proximo ſuo, eratque hoc teſtimonium in Iſraële.* Non convenit inter Rabbinos, an is, qui cederet prædio, calceum ſolverit & dederit acquirenti, an acquirens cedenti, ſed verba ſequentia litem quodammodo dirimunt; dixit enim propinquus Bohaſo emtori, *poſſide tu, & extraxit calceum*, quo facto vindex teſtabatur, ſe perinde jure ſuo cedere, quam calceum exuebat. vid. LXX. ad Deut. XXV. vſ. 7. & Joſephum lib. V. cap. 11. Ita olim. Sed ſeculis ſequentibus magis placuit chirothecæ, dextra manu detractæ, vel ſudarii datio, uti ex Jarchio & Paraphraſte Chaldæo ad dict. cap. 4. Ruthæ Druſius *Quæſt. & Reſp. Ebraic.* 46. & Selden. *de J. N. & G. ſec. diſc. Ebr. lib.* VI. *c.* 5. obſervarunt. Non alia ratio fuit ſolennis excalceationis, quæ inter levirum & fratriam peragebatur: *Accedens glos ejus ad eum ante oculos ſeniorum, exuenſque calceum ejus e pede ejus, ſpuet ante faciem ejus, & proteſtans dicet, ſic fieri debet viro illi, qui non volet exſtruere domum fratris ſui, Deut.* XXV. *vſ.* 7. Ut enim dotata fratria,

tria, cum familiæ jactura, in qua prius nupſerat, dotem ad alium maritum transferre poſſet, opus erat, ut levir una cum nuptiis etiam renunicaret bonis; at calceamentum ſicut eſt ſignum obligationis, ita excalceatio liberationis, uti Grotius ad h. l. notat. Hoc amplius Miſna nos docet, tit. Jabimoth cap. 12. ritum illum peragendum fuiſſe calceamento vel ſandalio, cui ſolea eſſet, non impilio: ſolea enim ſoli poſſeſſionem notat, a parte pedis inferiore, qua fundum tangimus; unde ſolea & ſolum promiſcue dicuntur, apud Varronem lib. 11. de R. R. c. 9. & Martial. lib. IX. epigr. 75. Impilia vero veſtis loco fuiſſe, ait Ulpianus in *l.* 25. §. 4. *D. de aur & arg.* eaque cum faſciis cruralibus ac pedulibus conjungit; ſed *alia*, addit, *cauſa eſt odonum, quia uſum calceamentorum praſtant.* Impilia ergo pedis partem majorem tegebant, ſed deſtituta materiæ robuſtioris ſolea ex ſubere, ligno vel corio, huic negotio apta non fuerunt Aliter Cujac. lib. V. Obſ. c. XI. lib X. Obſ. c. 13. 17. & Pancirol. lib. 2. Theſ. var. lect. cap. 99. impilia illa explicant, ſed videatur Selden. Uxor. Hebr. lib. 1. cap. 14. Illud tritum eſt, calceamentum ſolvere vel induere, ſervilis operæ notam fuiſſe, & ab ea manaſſe ſubjectionis formulam: *cujus ejus non ſum dignus, ut ſolvam cor-*

corrigiam calceamenti, apud Marc. I. vſ. 7. Luc. III. vſ. 16. Act. XIII. vſ. 25. Sed pedes oſculandos præbere ſummi faſtus & ſuperbiæ viſum fuit pleriſque erectioris indolis. Seneca lib. II. de benef. c. 12. Cajum Caligulam, ludibrium illud naturæ, recte perſtringit, quod Pompejo Pennæ ſiniſtrum pedem, propter vitam datam, oſculandum præbuit: *Homo natus in hoc, ut mores libera civitatis Perſica ſervitute mutaret: parum judicavit, ſi ſenator ſenex, ſummis uſus honoribus, in conſpectu principum ſupplex ſibi eo more jacuiſſet, quo victi hoſtes victoribus jacuere: invenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet. Non hoc eſt rempublicam calcare? & quidem dicet aliquis (nam hoc poteſt ad rem pertinere) ſiniſtro pede.* Capitolinus ſimilis ſuperbiæ monſtrum nobis præbet, in Maximino juniore cap. 2. *In ſalutationibus ſuperbiſſimus erat, & manum porrigebat, genua ſibi oſculari patiebatur, & nonnunquam etiam pedes.* Procopius etiam, in Hiſtoria arcana circa finem pag. 133. Juſtinianum & Theodoram reprehendit: *Quod, cum in conſpectum venirent, tum alii, tum qui patricia dignitatis eſſent, ſtatim in faciem procumbebant, pedibuſque ac manibus tentis, utrumque principis pedem oſculo proſequebantur, ac tum diſcedebant.* Conjecturas, unde initium ſumſerit *mos an-*

ti-

tiquus, ut Anaſtaſius vocat in Leone IV. oſculandi pedes Pontificum Romanorum, tradidit Matthæus Weſtmonaſt. A. 798. & excuſans eos Erycius Puteanus Hiſt. Inſubr. lib. III. c. XI. ſilere jubet linguas obſtrepentium ceremoniæ priſcæ, qua magni Principes, Conſtantinus, Juſtinianus & Carolus ſceptra ſua humana divinis ſubjacere teſtati ſint: ſed nimis liquet, laudabilius feciſſe Trajanum, quod civium amplexus ad pedes ſuos non depreſſit, auctore Plinio in paneg. c. 24. & pluribus oſtendi in Diſſert. *de jure Imp. circa elect. Pont. Rom. cap.* I. §. 5. quam parum honos ille perſonato conveniat ſervo ſervorum, qui ut Guillelmi Apul. verba mea faciam lib. II. de Geſt. Normann.

. . . . curvatos Papa benigne
Suſcipit, oſcula dant pedibus communiter omnes.

CAPUT. XVIII.

Honos ſedendi Magiſtratuum et Judicum: neceſſitas ſtandi litigantium et poſtulantium, ad l. 1. C. de off. jud. civ. et l. 6 fin. C. de. adv. div. judicior.

ANtequam hinc diſcedamus, adhuc juvabit, comparatione inſtituta, honorem ſedendi à ne-

neceſſitate ſtandi ſeparaſſe: ſic enim nonnulla eluceſcent, quæ alias Juris ſtudioſis velut caligine nimboque obducta eſſe videntur. Enimvero in actu ſedendi honorifici aliquid fuit omni ævo, & nunc eſt apud cunctas gentes: in primis ſellæ uſus, in publico decretus, velut meriti in Remp. auctoritatis, dignitatis ac præſtantiæ ſymbolum adeo frequenter occurrit; econtrario autem ſcenicis, tabernariis aliiſque viliſſimis capitibus, in publico v. c. in theatris uſus ſellæ & facultas ſedendi negata eſt, ut nemo, vel balbutiens in Antiquitatum cognitione illud ignorare poſſit. *v. l.* 1. *C. Th. de uſu ſellar.* Ubicunque Rex, Princeps, Magiſtratus vel Judex apud Homerum, ibi throni, ſolii & ſellæ fit mentio, quaſi illis ſteterit tota eorum majeſtas. v. Feithii Antiq. Hom. lib. 2. c. 6. 7. Mitto ſedes aureas regum & gemmatas, ad luxus oſtentationem & fulgorem compoſitas; de quibus Briſſonius de regno Perſarum, Bulengerus de Imperio Romano, & qui omnes diligentia ſuperavit, Valerius Chimentellius, *de honore biſellii*, adeundus eſt. Apud Romanos ſella curulis haud poſtremum domi foriſque inſigne erat quorumvis majorum Magiſtratuum, Dictatoris, Interregis, Conſulis, Prætoris, Ædilis, Magiſtri Equitum & Præfecti Urbi; in provinciis Præſidum, Proconſulum & Præto-

torum. Occupata republica Imperatorum ſella non multum diverſa fuit, ſed cultior, & in quidvis pretioſum luſu artificum reficta. Præfecti etiam Prætorio & Urbi *ſedes* adeo illuſtris, ut omnis eorum dignitas hoc vocabulo indicaretur *l.* 12. *C. Th. de legat. l. ult. C. Th. de piſtor.* Omnes autem hi tum alias, tum maxime jus dicturi, illud ampliſſimæ dignitatis ſedile occupabant, & ſive cognoſcerent, ſive ſententiam pronuntiarent, ſedendo auctoritatem reip oſtendebant. *l.* 7. *D. de in int. reſtit. l.* 1. §. 43. *D. ad Sct. Tertyll.* Martial. lib. XI. Epigr. 99.

Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et e curuli jura gentibus reddas.

Hinc dies *ſeſſionum* dicuntur, quibus Prætor pro tribunali ſedet, diebus continuis, & aliquando utilibus adverſi. Ulpian. *l.* 2. §. 1. *quis ordo in bon. poſſ.* ait: *ſeſſiones nobis erunt computandæ, quibus ſedit is, quibuſque per prætorem factum non eſt, quo minus daret bonorum poſſeſſionem.* Sic quoque apud eundem in *l.* 5. §. 19. *D. ut in poſſ. leg.* pro *poſſeſſionum* tempus, *ſeſſionum* legi debere, poſt Goveanum, Cujacius temere conjecit, lib. 11. Obſ. c. 18. Poſt tergum Prætoris, nobilis plerumque & juris imperiti, in eodem tribunali, ſedebant ejus Conſiliarii ſeu Jcti, qui ſæpe, modeſtiae cauſa, juris ſtudioſi, plerumque vero *Adſeſſo-*

. . . mediis conſidere caſtris
Juſſit, & arbitrium litis trajecit in omnes.

Hoc tantum erat diſcrimen, quod Prætor in tribunali judices vero in ſubſelliis ligneis, lapideis & humiliore loco conſtitutis judicabant; hinc *pedanei* dicuntur, & χαμαιδικασαὶ, quod infra ad pedes tribunalis adſiderent & pede plano, non pro tribunali judicarent. v. Cujac. ad Nov. 82. & Rævard. lib. III. Conject. c. 10. Eodem pertinet, quod Cicero rem *longi ſubſellii* vocat, quæ longa conſultatione digna eſt, lib. III. epiſt. 9. & hominem *in utriſque ſubſelliis*, id eſt in judiciis privatis & publicis verſatum, lib. XIII. epiſt. 10. Juvenal. Sat. XVI. vſ. 13.

Bardaicus judex datur, hæc punire volenti
Judex, & grandes magna ad ſubſellia ſuræ.

Diverſa ratio erat litigantium, accuſatorum & Advocatorum, qui ſedendi jure privati; erecti & ſtantes cauſam orabant. De litigantibus conſidendi jure deſtitutis vid. *l. 1. C. de off. judic. civ.* & *l. ult. C. ubi Senat.* De Patrono cauſarum Valent. & Valens in *l. 6. in fin. C. de Advoc. diverſ. judicior.* ajunt: *Cum ipſe neceſſitatem ſtandi elegerit, & contempſerit jus ſedendi:* id eſt, cum maluerit eſſe cauſidicus, quam judex, nihil honori ejus detrahitur, quod in eodem negotio, utroque munere fungi non poteſt. Hinc eſt quod multis in lo-

cis Cicero ait, *ad dicendum ſurgere*, & Horatius recuſans patrocinium lib. II. Sat. 9. *Intercam, ſi aut valeo ſtare, aut novi civilia jura*, quia cauſarum actores ſtare oportebat. Plinius lib. I. Epiſt. 23. *In tribunatu abſtinui cauſis agendis, quod deforme arbitrabar, cui loco cedere omnes oporteret, nunc omnibus ſedentibus ſtare.* & lib. VI. epiſt. 33. *Ingens utrinque advocatorum univerſa ſubſellia perſtantium corona.* Ita Senatores Conſulis voce, ad ſententiam dicendam acciti, conſurgebant; ſi vero Senatuſconſultum, in exigui momenti negotiis, per diſceſſionem fiebat, univerſi ſententiam pedibus ferebant, unde qui non haberent fiduciam dicendi, aut non rogarentur, *pedarii* Senatores dicti, Cicero lib. I. ad Att. ep. 18. Gell. lib. III. cap. 18. Statio etiam orantium fuit habitus, ad majeſtatem numinis ejuſque honorem communiter uſitatus. Geneſ. XVIII. vſ. 22 Nehem. IX. vſ. 5. & Marci XI. vſ. 25. Nec alia ratione, quam ut reverentia Magiſtratibus debita haberetur, inductum eſt, ut Patroni & Oratores nen ſedentes, ſed ſtantes cauſam orarent. Niſi addere placeat, quod major impetus & calor eſt in actione ſtantis, quam ſedentis; in hoc enim oculi manuſque, præcipua pronunciationis adjumenta, præpediuntur, & non mediocriter ab officio diſturbantur. v. Quintil. lib.

lib. III. Inſt. c. 2. Plin. lib. II. epiſt. 19. & Jan. Langlæ. lib. I. Semeſtr. c. 3. In ſumma ſtare eſt agentis, ſedere quieſcentis & judicantis. Plaut. Moſtell. v. Sc. 2. vſ. 21.

TH. *Hercle mihi tecum cavendum eſt: nimis quam es orator catus.*

CA. *Sine me dum iſtuc judicare: ſurge, ego iſtic aſſedero.*

EXERCITATIO III.

DE

ADOPTIONE SYMBOLICA.

CAPUT I.

De Adoptionis antiquitate et cauſis.

Inſitum eſt homini natura deſiderium conſervandi ſui memoriam, & æternitatem, quam cum haud poſſit per ſemet ipſum comparare, generis propagatione aſſequi conatur; ideoque cariores ei ſunt liberi, quam parentes, quia in his deſinit, quod in illis incipit, & per filios, ut Plato dixit, immortalis fieri ſperat. *Idcirco etenim filios filiaſve concipimus atque edimus, ut ex prole eorum earumve diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus*, ait Calliſtratus in *l.* 220. §. 3. *D. de V. S.* Enimvero hoc votum eſt omnium; qui nuptias contrahunt, ut ſuperſtites habeant heredes, iiſque, una cum nominis ſui memoria, bona relinquant; quapropter toties liberi *vota*, *& ſpes parentum*, *monumentum*, & *columna domus*, apud Veteres appellantur.

tur Sed quia non omnes conjuges ea felicitate gaudent, ut dulces heredes tollere poſſint; alii etiam turbato mortalitatis ordine liberis ſuis rogum ſtruere debeant; hinc commento naturam imitante, & remedio opus fuit, quo defectus naturæ quodammodo molliretur. Videbant enim Legiſlatores nihil flebilius accidere parentibus orbitate; alios dolore filiorum amiſſorum ſibi ipſis vim inferre; alios propter orbitatis vulnus animum lucrandi abjicere; alios denique de liberis deſperantes marcere, & *miſeros* ſeſe crepare, uti etiam appellantur in *l.* 1. *C. Th. de jur. lib.* Auxilium igitur ipſis per Adoptionem conceſſam tulerunt; tum ne cenſum alieno pararent heredi, tum ut ex convictu & blanda adulatione filiorum, ſaltem fictorum, ſolamen haberent curarum, & ſenectutis oblectamentum. In univerſum nihil videbatur triſtius, quam ſine herede decedere *l.* 6. *D de interrog. l.* 5. *D. teſt. quemadm. ap.* Hinc illa frequens formula: *Si, quod abominor, neque filia mea, neque nepos meus heredes erunt*, in *l.* 88. § 9. *D. de leg.* 2. *l.* 41. §. *f. D. de vulg. & pup. l.* 85. *D. de her. inſt.* Prima ergo adoptionis cauſa fuit defectus liberorum, maxime maſculorum, quam Cicero indicat lib. 1. Tuſc. diſput. cap. 14. *Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones*

filiorum, quid teſtamentorum diligentia, quid ipſa ſepulchrorum monumenta, quid elogia ſignificant, niſi nos futura etiam cogitare? Idem pro domo cap. 13. *Quod eſt, Pontifices, jus adoptionis? nempe ut is adoptet, qui neque procreare jam liberos poſſit, & , cum potuerit, ſit expertus.* Sic Auguſtum, amiſſis liberis, nepotibus, & exhauſta Cæſarum turba, *adoptione deſertam domum fulſiſſe*, ſcribit Seneca conſol. ad Marc. c. 15. & Ulpius Crinitus, apud Vopiſcum in Aureliano c. 14. filios electos eſſe ait: *ut vel ſeneſcentes familias, vel fœtus matrimoniis jam caducos, ſubſtituta fecunditas prolis ornaret.* Altera cauſa erat, ut qui degeneres liberos haberent, meliores ſibi hoc pacto quærerent, ut ne flagitiis caderet decus familiæ, cujus iſti *convicium, vomica* & *ſcabies* paſſim dicuntur. Apud Athenienſes quidem non fiebat adoptio, niſi *quum liberi non eſſent genuini*, uti Iſæus pro Euphileto ſcribit; immo publica lege cautum erat, ut orbi tantum adoptarent, auctore Demoſthene ἐν τῷ πρὸς Λεωχάρην: *Si quem orbus, rerum ſuarum dominus, adoptaverit, ea adoptio rata eſto:* hinc quando ſuperſtites alicui erant liberi, naturales, οἱ γνήσιοι παῖδες, non abdicati, hi ſoli cernebant paternam hæreditatem, excluſis adoptivis. Similiter Romæ rariſſimè, & nunquam forte in libera Republi-

blica, extraneum quis adoptavit, qui ipſe filium naturalem haberet. Refert enim Tacitus, peritos annotaſſe, nullam ante Neronem, inter patricios Claudios adoptionem reperiri, quamvis illi ab Atto Clauſo continui derivarentur lib. XII. Annal. c. 25. Addit Suetonius, non parum reprehenſum fuiſſe Claudium, quod Britannico ex ſe genito fratrem adoptione junxit, in Claud. c. 39. Idem quoque ſcribit, Tiberium, non ſua ſponte, ſed ab Auguſto coactum, Germanicum ſibi filium adſciviſſe, præter Druſum naturalem, in vita Tib. c. 15. Hoc ipſum denique ex Ciceronis orat. pro domo c. 13. aliiſque adverſus Freinshemium, Vir Cl. Jac. Perizonius evicit, Animadverſ. hiſtor. c. 3. pag. 125. & Reinold. Var. c. 42. Quod ſi vero patres metuerent, inprimis Principes, ut pueri vitales ſibique ſuperſtites eſſent, aut multæ forſan magnæque injuriæ patrum privatorum patientiam deviciſſent, procedente tempore, ad decretoriam ejuſmodi adoptionem nonnunquam accedebant; ſive ut aliquem cognatorum adderent filio parum valenti, ſive ut malo, extra lares pulſo, & exheredato ſubſtituerent meliorem. Sic poſtquam Auguſtus, duos ſimul adoptando, a jure iſto receſſerat, deinde Claudius, ſupra propriam ſtirpem, Pallantis auctoritate, Domitium adoptavit,

ut Britannici pueritia robore circumdaretur. Tacit. dict. lib. XII. Annal. c. 25. Nec deſunt in Pandectis ejuſmodi exempla, in *l.* 12. §. 4. & *l.* 17. *D de ritu nupt.* Ulpianus vero in *l.* 17 §. 3. *D. de adopt.* prudenter videndum eſſe monuit: *An non debeat permitti ei, qui vel unum habebit, vel plures liberos, adoptare alium: ne aut illorum, quos juſtis nuptiis procreavit, deminuatur ſpes, quam unuſquiſque liberorum obſequio parat ſibi, aut, qui adoptatus fuit, minus percipiat, quam dignum erit eum conſequi.* Ultima denique & tertia adoptionis cauſa fuit, quod nonnulli, Junonem exoſam habentes, bonos liberos naturales ex dubio fortuito eventu pendere exiſtimarunt, & ſumma ſenectute adoptare maluerunt, quam viridi juventute procreandorum aleam ſubire: *in liberis enem tollendis nihil judicio tollentium licet; tota res voti eſt*, ait Seneca lib III. de benef c. II Eodem tendit Galbæ oratio apud Tacit. lib. I. Hiſt. c. 16. *Generari & naſci a principibus fortuitum, nec ultra æſtimatur: adoptandi judicium integrum.* Plinius in Paneg. c 7 de Nerva: *nihil intereſſe arbitratus, genueris, an elegeris, ſi perinde ſine judicio adoptentur liberi, ac naſcuntur, niſi tamen quod æquiore ănimo ferunt homines, quem princeps parum feliciter genuit, quam quem malè elegit.* In alia omnia quidem

dem ivit Euripides, in Erechteo, nullamque ſtirpi inſitivæ vim ineſſe, & longe præſtantius videri ſatu datum, quam lege mentitum genus: ſed Papinius Statius, ex ſententia priorum, quoque potens ac prævalidum laudavit adoptionis vinculum, quod non fortuita ſorte naſcendi, ſed cujuſque incoacta voluntate ſolidoque judicio contrahitur, lib. 11. Sylv. 1. vſ. 82.

Fas mihi ſanctorum venia dixiſſe parentum,
Tuque, oro, natura ſinas, cui prima per orbem
Jura animis ſociare datum: non omnia ſanguis
Proximus, aut ſerie generis demiſſa propago,
Alligat, interius nova ſæpè, adſcitaque ſerpunt
Pignora connexis, natos genuiſſe neceſſe eſt,
At legiſſe juvat, &c.

Propter has igitur tres potiſſimum cauſas, in Annalium monumentis, liberorum adoptatorum exempla crebra occurrunt; & antiquiſſimum inprimis apud Joſephum lib. 1. Antiq Jud. cap. 7. *Abramus Lotum fratris ſui Arana filium, Sarræ vero conjugis ſuæ fratrem adoptavit; quod dubiam haberet ſpem liberorum legitimorum.* Sed cauſis illis aliæ quoque plures addi poſſunt. Ecce enim vel ſecundum, quos novimus adoptantium, Jacobum prædivitem illum natorum patrem, intueamur, qui Ephraimum & Manaſſen nepo-

tes filiorum loco adſcivit, ut ſuam quisque ſeparatam tribum conſtitueret, Geneſ. cap. XLVIII. vſ. 12. Tertium exemplum ſit in Moſe, quem Pharaonis Ægypti Regis filia Thermuthis expoſitum atque ex aquis Nili extractum, miſericordiæ cauſa, ali juſſit & adoptavit Exodi II. vſ. 10. Actor. VII. vſ. 21. Hebr. XI. vſ. 24. Quartum ab Hebræis petam, quos veriſimile eſt, uſum adoptionis ex Ægypto in terram Canaanis detuliſſe: nam editio vulgata Eſth. II. vſ 7. adoptionis meminit: *Vocabatur Eſther, & utrumque parentem amiſerat; pulcra nimis & decora facie. Mortuiſque patre ejus ac matre, Mardochæus ſibi eam adoptavit in filiam.* Et quamvis Rabbini ac Helleniſtæ aliter hoc explicent, tamen Seldenus de ſucceſſ. in bon. def. c. 4. alias præterea quaſdam adoptandi ſpecies, quibus ſervi & liberi & filii fiebant, Judæis uſitatas fuiſſe, Divumque Paulum Rom. cap. VIII. v. 14. & Gal. cap. IV. vſ. 5. ad eas, tanquam moribus receptas, alluiſſe exiſtimavit. Eundem in modum alias alios rurſus ad adoptandum impellere potuiſſe cauſas, quis neget? quamvis pleroſque veterum adoptantium una trium priorum moverit, uti Theophilus quoque Inſtitutionum paraphraſtes annotavit. Theſeus, Ægei Athenienſium regis nothus, a patre naturali adoptatus, inde

de nomen ſortitus fertur, quod Græci adoptionem θέσιν voant, ipſumque Ægeum Plutarchus θετὸν, quaſi poſitivum appellat, quia filius etiam erat adoptivus. Apud Plautum vero Antidamas Ætolus, Demarchi filius adoptivus, Agoraſtoclem Pœnum, pro filio ſibi adoptavit, quod *cupiens liberorum*, ſed *oſor mulierum* eſſet, in Pœn. prol. vſ. 76. & Act. v. ſc. 2. vſ. 85. Thales Philoſophus, quum nullam uxorem duxiſſet, ſororis filium adoptavit, auctore Laert. lib. 1. ſegm. 26. Aphareus vero, Hippiæ filius naturalis, ab Iſocrate vitrico ſuo adoptatus eſt, Plutarch. in Iſocrat. Apud Spartanos arrogationes coram Rege fieri debebant, quod cenſerent eas temere fieri non debere, Herodot. lib. vi. cap. 57. Philolaus item, Thebanorum legiſlator, de liberis adoptandis leges tulit, teferente Ariſtotele lib. ii. Polit. c. 10. Apud Græcos Iſocrates in Æginet p. 777. meminit *legis, per quam nobis adoptare liceat*: quæ forte eſt Solonis; qui inter alia capita, viceſima prima tabula, vetuit adoptivos in domum paternam redire, niſi filios legitimos in adoptiva familia reliquiſſent, Harpocration in ὅτι οἱ ποιητοὶ παῖδες. De Perſis Procop. lib. 1. de bell. Perſ. c. xi. *Non per tabulas*, ait, *ſed per arma ac belli inſtrumenta barbari adoptantur.* Cyrenæis quoque, Macedonibus, Numidis & Indis,

Indis uſitatam fuiſſe adoptionem, ex Juſtino lib. XXII. c. 7. Livio lib. XLII. cap. 52. Salluſtio in Jugurth. Floro lib. III c. 1. & Philoſtrato liquet, lib. II. de vita Apollon. c. 31. Denique adoptio apud gentes Germanicas uſitata fuit, non tantum inter illuſtres perſonas, uti Carolus Craſſus Imperator Ludovicum *ſuſcepit ad hominem, ſibique adoptivum eum filium injunxit*, ut eſt in Annal. Fuld. ad A. 887. apud Freher. tom. I. pag. 48. ſed etiam inter privatos, utriuſque ſexus. Ita Dagobertus Rex ſancit, in lege Ripuar. 48. A. Chr. 630. apud Baluz. t. I. capit. pag 39. *Si quis procreationem filiorum vel filiarum non habuerit, omnem facultatem ſuam, in præſentia regis, ſive vir mulieri, vel mulier viro, ſeu cuicunque libet, de proximis vel extraneis adoptare in hereditatem, vel adfatimi per ſcripturarum ſeriem, ſeu per traditionem, & teſtibus adhibitis, ſecundum legem Ripuariam, licentiam habeat.* Apud eundem t. II. p. 413. extat Marculfi formula l. II. n. 13. qua is, qui liberis orbatus, rebus ſuis ſupereſſe non poteſt, bonorum poſſeſſionem ea lege in adoptatum transfert, ut victus & amictus, quamdiu vixerit, ſibi ſuppeditetur.

C A-

Caput II.

De variis Adoptionum ritibus & formulis apud Romanos, qua privatos, qua Principes.

Romæ ritus Adoptionum publici diverſi erant a privatis, ideoque de ſingulis ſeparatim eo diligentius nobis agendum erit, quo certius novimus, ſolennem illum familiarum conſervandarum morem, una cum legibus, ad alios deinceps populos tranſiiſſe, & ad noſtra uſque tempora propagatum eſſe. Vidimus ſupra, apud Spartanos adoptiones apud regem, cauſa cognita, fieri debuiſſe: Romæ adoptiones erant frequentes & *innumerabiles*, ut Cicero ait pro domo cap. 13. verum ſicut arrogationes non temere nec inexplorate committebantur, ita in adoptionibus multa quoque requiſita attendi debebant; hinc Papinian. in *l.* 44. *D. de uſurpat.* ait, non tam frequentem, nec facilem fuiſſe adoptionem, quam comparatio ſervorum: neque enim minor majorem, nec ſexagenario minor, nec femina adoptare potuit; fieri adhæc debebat ſolenniter, & certo ritu, a Prudentibus compoſito *l.* 4. *l.* 25. *D. de Adopt.* Neque mutus filium in adoptionem dare poterat,

rat, *l.* 29. & *l.* 38. *D. eod.* neque abſens adoptare, aut arrogare, neque adoptari vel arrogari *l.* 24. *l.* 25. *D. l. ult. C. eod* Dividitur autem Adoptio, inopia vocabulorum, in Adoptionem proprie dictam & Arrogationem: Illa eſt legis actio, qua qui filii familias ſunt, magiſtratus imperio, ac conſenſu patris naturalis, cujus ſunt in poteſtate, in patris civilis familiam adſciſcuntur. *l.* 1, 2, 3. *D. eod.* per arrogationem vero adoptantur patresfamilias, olim populi, poſtea Principis auctoritate. *l.* 2. *D. l.* 2. *C. eod.* Adoptio imaginaria quædam venditio erat, ſive alienatio dominii Quiritarii, quam pater naturalis coram eo, apud quem legis actio erat, ſolenniter faciebat, per trinam venditionem & ceſſionem in jure, adhibitis non minus, quam quinque teſtibus, civibus Romanis, & libripende cum libra. Adoptans caput adoptandi tenens dicebat: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo, iſque mihi emtus eſt hoc ære æneaque libra.* Deinde libram percutiens patri naturali æs, quaſi pretii loco dabat, idque cum iterum ac tertio feciſſet, filius de poteſtate patris exibat, ac adoptivi patris emtoris filius evadebat, poſtquam eum ita vindicatum & mancipatum Prætor, ſolenli in legis actionibus vocabulo *addico*, addixiſſet. vid. *l. fin. C. de Adopt.* & exempla apud

apud Val. Max. l. v. c. 10. n. 2. & Suet. Aug. c. 64. ubi: *Cajum & Lucium adoptavit domi, per aſſem & libram emtos a patre Agrippa.* Sic quoque Cicero lib. 1. de fin. c. 7. filium Torquati conſulis in adoptionem D. Silano *emancipatum* ſcribit; & Tertullian. Apol. c. 9. *Adoptandos melioribus parentibus emancipatis.* Quiſquis autem hoc pacto ex patris naturalis mancipio ſive dominio liberabatur, ſimul tota illius familia ſe abdicabat, ut ejus reſpectu extraneus haberetur *l.* 3. §. 1. *D. de cap. min.* Caj. *l.* 1. *Inſt. tit.* 6. & Serv. *ad lib.* 11. *Æn. vſ.* 156. *Conſuetudo*, inquit, *apud antiquos fuit, ut qui in familiam, vel gentem transiret, prius ſe abdicaret ab ea, in qua fuerat, & ſic ab alia reciperetur.* Idem quoque Auguſtinus l. 1. contra ſec. Juliani reſponſ. tradit: *Emancipatum hominem dicis a Deo, nec attendis, hoc cum emancipato agi, ut in familia patris non ſit.* Non ergo poterat in adoptionem datus hereditatem patris naturalis, aut agnatorum ejus ſperare, ſed qui domi in manu patris manſerant, fratres ejus, *ſoli nominis, ſacrorum familiæque heredes* fiebant, uti Livius de Pauli Æmilii filiis ſcribit, lib. XLV. c. 40. Graviter quidem adverſari videtur Valerius Maximus l. VII. c. 7. §. 2. & Feſtus in voce *mancipatus*, verum priorem locum Cl. Schulting. Exercitatione ſingulari

Tor-

Torrenii noviſſimæ editioni Valerii adjecta, poſteriorem vero Guil Ranchinus l. 1. Var. Lect. c. 1. explicarunt. Altera adoptionis ſpecies, Adrogatio dicta, propria fuit civium Romanorum, eaque non lege XII. Tabularum, neque Prætoris edicto, ſed eo jure, quod auctoritate prudentum tacitoque conſenſu receptum eſt, introducta dicitur, in *pr. Inſt. de acquis per adrog.* Fiebat illa apud populum in comitiis, ſolenniter rogatis, id eſt, interrogatis tribus, patre arrogante, & filio arrogando, & populo deinceps: qui omnes auctores fieri debebant, An Lucius Titio tam jure legeque filius eſſe debeat, quam ſi ex eo patre matreque familias natus eſſet, utque ei vitæ neciſque in eo poteſtas fiet, uti patri in filium, auctore Cicerone pro domo c. 29. & Gellio l. V. c. 19. Veſtigia hujus formulæ Proculus expreſſit in *l.* 44 *D. h. t.* adeoque ſecundum illam emendandus eſt, uti Balduin. in Jurisprud. Muc. pag. 131. Duaren. lib. II Diſp. c. 14 & Guther. de vet. jur. Pontif. lib. 2. c. 5. monuerunt. Effectum ejus indicat Appianus de Bell. civ. l. III. pag. 586. *Poſt ſacra peracta, ſe ipſum in patris familiam ac nomen inſeruit, curiatis comitiis, hoc eſt per plebiſcitum. Eſt autem hujuſmodi orborum adoptio maximè legitima, nam ſic adoptati idem quod nativi filii jus habent,*

erga

erga ſuorum patrum agnatos ac clientes. Huc quoque pertinet acerba Ciceronis ironia pro Sextio c. 33. *Alter vero non ille Serranus ab aratro, ſed ex deſerto Gavii Oleli horreo, calatis granis in Calatinos Atilios inſitus.* Ubi pro comitiis Calatis dicit *granis collatis*, ut indicaret, eum in vili & pauperrimo horreo patris ſui educatum & in gentem Atiliam translatum fuiſſe. Vide Jac. Perizon. Animadverſ. hiſt. c. 1. pag. 31. Debebat adrogatio populi auctoritate fieri, & lege Curiata, tum quia de diminuendo capite civis, ejuſque familia naturali exſtinguenda agebatur; de capite civis autem, niſi maximo comitiatu, rogari non licuit, ſecundum Leges XII. Tabb. apud Cicer. l. III. de Leg. fin. tum quia ſacrorum deteſtationes in hiſce comitiis fiebant; tum denique quia *jure cujuſdam ſucceſſionis*, arrogandus cum capite fortunas quoque ſuas in familiam & domum arrogatoris transferebat *l.* 22. §. 3. *D. de inoff. teſt. l. pen.* §. 2. *D. de bon. poſſ. ſec. tab.* Tacit. lib. 1. Hiſt. c. 17. Tria vero in hoc genere lex obſervari jubebat (α) ut is arrogaret, qui neque procreare liberos jam poſſit, & cum potuerit, ſit expertus. (β) ut tum generum ac dignitatis, tum ſacrorum ratio haberetur. (γ) ne qua omnino calumnia, ne qua fraus; ne quis dolus adhiberetur. His per Pontifices examinatis

R natis

natis cauſaque ab illis probata, magiſtratus populum, in triginta curias diſtributum, vel triginta lictores, ſpecie & imagine quadam curias repræſentantes, lege curiata interrogabat. vid. Ciceronis orat. pro domo c. 13. 14. & in Rullum 11. Nicol. Gruchius l. 111. de Comit. Rom. c. 3. & J. Fr. Gronov. lib. 1. Obſ. c. 25. Cur autem arbitris Pontificibus arrogatio debuerit peragi, non adeo liquidum eſt: nam quod Rævardus de auct. prud. c. 6. & Gutherius l. 2. de vet. jur. Pontif. c. 5. exiſtimarunt, ſacrorum cauſa illud factum eſſe, in quæ tranſibat arrogatus, quorumque arbitri Pontifices erant, idem de adoptatis quoque dici poteſt, qui ſacra familiæ & gentis profani attingere vel diminuere non debebant. Minus admittendum eſt, quod idem Gutherius lib. 1. cap. 13. exiſtimat, Pontificem Maximum ea comitia habuiſſe, id enim tantum magiſtratuum erat, & arrogationes arbitris, id eſt præſentibus Pontificibus & cognoſcentibus, tantum fiebant, uti Boſius de Pontif. max. c. v. §. 5. & Græv. in præfat. ad tom. v. theſ. docuere. Quamobrem aut ſolennitatis gratia, vel religione quadam ad ſolam adrogationem, tanquam majoris momenti negotium, accitos eos fuiſſe, in opuſculis, cenſuit Vincentius Gravina; ſed vera cauſa eſt, quia in arrogatione cavendum erat, ne

ſa-

ſacra privata familiæ interirent, cujus rei in adoptione non tantus erat metus. Cicero pro domo cap. 13. *Quid? ſacra Clodiæ gentis, cur intereunt, quod in te eſt? quæ omnis notio Pontificum, cum adoptarere, eſſe debuit.* Hinc etiam Gellius refert l. v. c. 19. à Q. Mucio Pontifice Maximo jusjurandum aliquod conceptum eſſe, quod in arrogando juraretur; forte ad fraudes reprimendas, licet alibi ejus mentio nulla occurrat. An vero poſt Tiberium coram ſolo Principe arrogatio fuerit peracta, diſſentiunt Eruditi: Magius lib. IV. miſcell. c. 6. in *l. 2. D. de adopt.* emblema Triboniani cum Hotmano ſe reperiſſe putat: ſed nulla pugna eſt, ſi dicamus imaginem comitiorum aliquamdiu manſiſſe ad Antonini Pii ævum. vid. Alciat. lib IX. Parerg. c. 5. Cont. lib. I. ſubſ. c. 6. Ræevard. l. v. Var. c. 12. & van de Water *lib.* III. *Obſ. c.* 16. Hiſce duobus modis adoptandi in familiam ſolennibus addi poſſet tertius, ἀκύρως ita dictus; ſi quis teſtamento heres ſcriptus teſtatoris nomen ferre jubebatur: nam ſicut Athenis, ut Iſæus docet, jamjam moriturus, contra legem, teſtamento adoptare poterat, κατὰ διαθήκην, ſimiliter Romæ ſolo teſtamento adoptio impropria fiebat, hoc effectu, ut adoptivus cum hereditate nomen teſtatoris ferret; in ejus vero poteſtatem, qui mortuus eſſet, minime

tranſiret. Sic T. Pomponius Atticus, Q. Cæcilii avunculi ſui teſtamento adoptatus, Q. Cæcilius Pomponianus dictus eſt, auctore Cicerone lib. III. ep. 20. Aliud exemplum refert Plinius, Scipionis Pomponiani, qui Pomponii Salutionis, hominis prædivitis, ſed mimi, *adoptione teſtamentaria*, heres factus, ejus nomen aſſumſit, & imaginem in atrio poſuit lib. XXXV. Hiſt. Nat. c. 2. Similiter Livia, ex teſtamento Auguſti, in familiam Juliam nomenque Auguſtæ aſſumta, DIVA JULIA AUGUSTI FILIA, & DIVUS AUGUSTUS PATER ejus dicitur in nummis, apud Spanhemium de præſt. & uſu numiſm. Diſſert. XI. p. 273. Moris ejus quoque veſtigia ſuperſunt in *l.* 63. §. 10. *D. ad SCt. Trebell. l.* 19. §. 6. *D. de donat.* apud Cicer. l. VII. ad Attic. ep. 8. Valer. Maximum, Vellejum Paterculum, & Suetonium, quos Cujacius collegit l. VII. obſerv. c. 7. quocum Heraldus jungatur obſ. c. 18, 19. & 20. &, qui à Cujacio circa Octavii adoptionem diſcedit, Petitus ad LL. Att. pag. 143. Differebant denique adoptiones Principum, qui ſucceſſorem imperii ſibi deſignabant, ab adoptionibus privatorum; Galba enim, *apprehenſa Piſonis manu*, eum, non ut privatus lege curiata & apud Pontifices, more vulgari, ſed exemplo divi Auguſti & more militari, quo vir virum legeret, adoptavit,

vit, Tacit. l. 1. hiſt c. 15, & 18. Sueton. in Galba c. 17. Nimirum Galbæ ſufficiebat manus apprehenſæ ſymbolum, quia dextra amoris & fidei inſigne eſt. Eodem quoque habitu Nerva togatus Trajano paludato, ceu militari habitu, dextram & cum ea quaſi imperium porrigit, in aureo nummo, cum inſcriptione ADOPTIO, quem Ezech. Spanhem. ex Golzii ineditis ſchedis expreſſit ad Juliani orat. 1. Bœcler. in diſſ. de comit. imp. Galbam putat veteres imitatum, qui ſi adoptarent aliquem, apud Prætorem, manu eam tenentes dicebant, *Hunc hominem filium meum eſſe ajo*, ejuſque ritus veſtigia ex Ammiano Marcellino longis poſt temporibus proponit: ſed nullis formulis & ritibus egebant Principes, legibus civilibus ſoluti, quique ſua auctoritate vitia in adoptionibus privatorum ſanare poterant. Hinc ceteri quoque aliam adoptandi formam, ſive pro Roſtris in concione ad populum, ſive in conſeſſu Patrum, ſive in caſtris, coram cohortibus Prætorianis ſequuti ſunt; quin quandoque nuda renunciatione & per literas; quemadmodum Nerva abſentem Trajanum adoptavit, auctore Plinio in paneg. c. 6. & 9. vid. Dion. lib. 69. pr. & Spartian. Hadrian. c. 4. Nihil vero ad quietem reip. & ſecuritatem imperantium utilius, aut ad pravas aliorum ſpes cohibendas

validius, aut ad militum ſeditiones reprimendas efficacius erat remedio adoptionis: neque enim legiones aut claſſes perinde firma imperii munimenta ſunt, quam liberi, ex Taciti ſententia lib. IV. Hiſt. c. 52. & Galba ajebat: *audita adoptione, deſinam videri ſenex, quod nunc mihi unum objicitur*, apud eundem Tacit. lib. I. Hiſt. c. 16. Plura de Principum Romanorum adoptionibus ſingularia Ezechiel Spanhemius ad dictam orat. I. & Henricus Dodwellus, prælect. ad Spartiani Hadrian. 18. profeſſa opera & diligenter excuſſerunt; quibuſcum jungi merentur Boecleri jucundæ ea de re obſervationes politicæ ad Tacitum & Plinium, nec non Kulpiſii erudita diſſertatio, de Adoptionibus & emancipationibus Principum, in qua plena manu exempla & vetera & recentia cumulavit.

CAPUT III.

Comparat effectus Adoptionis divinæ & humanæ.

Si de moralitate Adoptionis quæratur, recte Hugo Grotius lib. II. de J. B. & P. c. 5. §. 2. inter arrogationem & adoptionem diſtinguendum eſſe docuit. Prior ſubjectionis ſpecies nobiliſſima eſt; qua is, qui ſui juris

ris eſt, ita ſe tradit in familiam alterius, ut ei ſubſit ad eum modum, quo filius, qui maturæ eſt ætatis, ſubeſt patri. At pater, filium ſuum eo modo dare alteri non poteſt, ut jus paternum plene in eum tranſeat, & ipſe paterno officio exſolvatur, id enim natura non ſinit. Non negat vir magnus, poſſe filium alteri viro bono commendari & alendum dari quaſi ſubſtituendo, nam & fructuarii jus, licet perſonale ſit, nec ſine interitu ab eo diſcedere poſſit *l.* 15. *D. fam. erc.* aliis tamen vendi & locari recte poteſt *l.* 12. §. 2. *D. de uſufr.* Non etiam de ſimplici adoptione, quam ubivis gentium placuiſſe videmus, cogitavit Grotius: ſed tacite ſugillat jus Romanum, quod effectus adoptionis per æs & libram nimis extendit, ita ut filius patri naturali ratione imperii, & omnibus ejus agnatis ratione ſucceſſionis pro extraneo habeatur, licet jura cognationum & affinitatum ſalva maneant *l.* 4. §. 10. *D. de gradib.* At vero imperium paternum ita ſequitur ipſam patris perſonam, ut totum exui nequeat, quia ex ſingulari generantis proprietate fluit, quæ perſonaliſſima eſt, nec in alium transferri, nec patre capto & in ſervitutem redacto, victori acquiri poteſt. Neque ſolus ita judicat ὁ μέγας, ſed etiam Tertullianus Apolog. c. 9. *Filios exponitis ſuſcipiendos ab aliqua prætereunte miſericordia*

çordia extranea, vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis. Denique Juſtinianus in *l. pen. C. de adopt.* ad eundem modum ratiocinatur: *Quis patiatur jura patris naturalis, nexu divino copulata, ludibrio defraudari?* Ceterum ſi melior redditur liberorum conditio, nihil eſt quod culpemus adoptionem, ſed magis laudanda eſt. Plato lib. IX. d. LL. in ſua Rep. ſancivit, ut ſi quis plures liberos maſculos habeat, uno ſibi retento, reliquos tradat iis civibus, qui nullos haberent. Philo item Judæus, initio libri de agric. pag. m. 183. illos laudat, qui filios alienos in ſuam gentem propter virtutem adſciſcunt, in qua perſeverent. Quid amplius? Ipſa Sacra Scriptura, & inprimis Paulus, ſcribens ad Hebræos, Græcos vel Romanos, crebro utitur ſchemate υἱοθεσίας, quo electi ab æterno, vocati in tempore, & regenerati per Spiritum S. accipiunt jus filiorum Dei Joh. I. vſ. 12. Epheſ. I. vſ. 5. ut poſſint in ſumma fiducia clamare Abba pater Rom. VIII. vſ. 15. Symbolum hujus adoptionis eſt conjugium, quo Deus pater filio ſuo naturali & unigenito deſponſavit Eccleſiam ſponſam, quæ obliviſcitur populi ſui & domus paternæ Pſalm XLV. vſ. 11. filii ejus cum natura eſſent filii iræ, ſervi peccati & ad Diaboli familiam pertinerent, ex mera gratia in Dei familiam adſcri-

pti,

pti, regenerati & naturæ divinæ participes facti, novum accipiunt nomen, renunciant priſtinis moribus & inſtitutis, denique ut filii, heredes fiunt ſacrorum, bonorum & regni, quod pater illis promiſit, Rom VIII. vſ. 17. Jacob. II. vſ. 5. Habet hæc adoptio quædam diſſimilia; inprimis illud, quod non ſolatur orbitatem Dei, ſed in commodum adoptatorum eſt facta, ut in Chriſto ſpiritualem cognationem & libertatem filialem haberent: pleraque vero cetera ex effectibus adoptionis civilis, & maxime Romanæ, lucem mutuantur, quam Apoſtoli præ oculis habuerunt. Jucunda eſt tranſlatio Pauli, ſcribentis, gentiles quum eſſent oleaſter, in familiam Abrahami, tanquam credentium parentis, *inſitos*, & præter naturam pinguedinis veræ oleæ ex radice participes eſſe factos. Rom. XI. vſ. 17. & 24. nam ut fiſſæ arbores per ſurculos connexos, adoptivas opes accipiunt, & *inſitiva pyra* Horatius, *adoptata poma* Plinius dixit, ſic adoptati in alienam ſtirpem inſeruntur. Tacitus *inſitum* & *adoptivum* Britannicum vocat lib. XIII. Annal. c. 14 Seneca *inſitivum heredem* appellat lib. II. contr. 9. & Statius lib. II. ſylv. I. vſ. 101. de alumno adſcito:

Vidi ego tranſſertos alieno in robore ramos
Altius ire ſuis.

Quomodo adoptandi a patre naturali, ſolenniter emancipati, vel arrogandi ſe abdicaverint ab ea familia, in qua fuerant, priuſquam in novam reciperentur, ex Servio ſupra vidimus cap. 2. & firmat Seneca lib. II. controv. 9. *reſpondeo emancipanti*, id eſt, ut adopter a divite, emancipari nolo. Recepti vero poteſtati adoptantium, tanquam liberi naturales parentibus, ſubjiciebantur, & viciſſim patribus adoptivis eadem alendi, educandi & dotandi onera incumbebant *l. pen. D. de adopt. l.* 7. §. 2. *D. de bon. damn.* Plinius lib. VII. c. 45. Sueton. Aug. c. 65. & Seneca Excerpt. controv. lib. III. c. 3. *quomodo fieri poteſt, ut tibi poteſtas vitæ neciſque in fratrem ſit* adoptatum, *mihi in filium non ſit*? Athenis adoptatus patris adoptantis cenſebatur tribu, Romæ vero ſi pater adoptans eſſet in diverſa tribu, adoptivus utramque accipiebat; ut tamen prius nominaretur illa, in quam adoptatus. Sic Octavius a Cæſare adoptatus in Fabia & Sceptia, & Plinius junior, ab avunculo adſcitus in Publia & Ouſentina tribu fuit. Sueton. Aug. c. XL. Gell. l. v. c. 19. qua de re plura L. Paulus Cigalinus, in libello *de Plinii patria*. Idem de patria dicendum, quæ duplex quandoque fuit adoptato; & tunc non ſolum in ea civitate, unde oriundus, munera civilia obibat, ſed etiam in patria adoptatoris,

toris, donec durabat adoptio *l.* 15. §. *fin. D. ad munic. l.* 7. *C. de adopt. l.* 7. *C de incol.* quia alias unuſquiſque, in fraudem, facile ſe ſubtrahere potuiſſet muneribus patriæ originariæ, adoptiones vero fraude carere debent *l.* 17. §. 9 *D. eod. l.* 2. §. 2 *D. de vacat. & excuſ.* Tacit. lib. xv. Annal. c. 19. Ad duplicem hanc Chriſtianorum patriam, terreſtrem & cœleſtem, Paulus alluſit ad Philippenſes ſcribens c. III. vſ. 20 ἡμῶν τὸ πολίτευμα *in cœlo eſt*, hoc eſt, ut Tertullianus explicat lib. III. adv. Marcion. c. 24. *Apoſtolus matrem noſtram ſurſum deſignat, & politeuma noſtrum, id eſt municipatum in cœlis eſſe pronuncians, alicũi utique cœleſti civitati cum deputat.* Idem de corona c. 13. *Sed tu peregrinus mundi hujus, civis ſupernæ Jeruſalem; Noſter, inquis, municipatus in cœlis eſt.* Jam vero de novis adoptatorum nominibus non multa mihi dicenda ſunt, cum a Carolo Sigonio, &, qui eum nulla fere laude relicta, ſequutus eſt, Onuphrio Panvinio, in libris de nomin. Roman. res illa ex veterum Annalium obſervatione tractata ſit diligentiſſime. Solebant enim plerique quum in alienam familiam tranſibant, prioris familiæ quaſi obliti, patris fiduciarii prænomen, nomen ac cognomen aſſumere, retento tantum patris naturalis nomine vel cognomine, aliquando etiam eo pa-

rum

rumper immutato. Ita P. Cornelius Scipio Naſica, a Q. Cæcilio Metello Pio adoptatus, dictus eſt Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio: ſed Auguſtus, quam antea vocaretur C. Octavius Thurianus, poſt adoptionem avunculi, C. Julius Cæſar Octavianus dictus eſt. Tacitus lib XII. Annal. c. 26. *Rogata*, ait, *lex*, *qua Domitius in familiam Claudiam & nomen Neronis tranſiret*. Dio Caſſ. lib. XLVI. *Sic inſtitutum eſt*, *ut qui adoptatur ab adoptante appellationem accipiat: nomen tamen aliquod eorum*, *quæ prius geſſit*, *aliter paullo formatum ſervet*. Appianus lib. III. de bello civ. pag. 532. *Moris eſt apud Romanos*, *ut adoptivi adoptantis nomen adjiciant ſuo*. Hinc phraſes illæ frequentes, *nomini ſuo adoptare*, *& in nomen adoptare* apud Plin. lib. v. c. 29. & lib. XXXVII. c. 3. Seneca epiſt. 88. Appionem Grammaticum *in nomen Homeri adoptatum*, id eſt Homerum cognominatum eſſe, ſcribit. Cetera videſis apud Auguſtin. lib. III. Emend. c. 8. Spanhem. de præſt. & uſu num. diſſ. x. pag. 77. & Fabrettum c. IV. Inſcr. p. 318. Nomen comitabantur agnatio, hereditas, omniaque jura, ſive peculiaria familiæ, ſive communia gentis, ſacra pariter ac profana: nam ut ait Calpurn. declam. 30. *Adoptio ſancta res eſt*, *quæ beneficia naturæ & juris imitatur*. De adoptatorum civili agnationis

tionis & conſanguinitatis jure ex *l.* 1. §. *ult. D. de ſuis & leg. l.* 2. § 19. *D. ad SCt. Tertull. & l.* 4. §. 2. *D. de grad.* conſtat. Sacra cum ipſis communicabantur privata, quæ gens quæque anniverſaria faciebat; ut Veneris Julia, Palladis Nautia, Solis Aurelia, Herculis Potitia & Pinaria &c. Quibusdam quoque tributum, ut in urbe ſepelirentur, quod de Poplicolis Plutarchus, de Corneliis Valerius Maximus, de Claudiis Suetonius, initio Tiberii, memoriæ prodiderunt. Omnia complexus eſt Ulpius Crinitus, arrogaturus Aurelianum, in orat. ad Valerianum Auguſtum, apud Vopiſcum in Aureliano cap. 14. *Jube igitur, ut lege agatur, ſitque Aurelianus heres ſacrorum, nominis & bonorum, totiuſque juris, Ulpio Crinito, jam Conſulari viro actutum, te judice, Conſularis.* Quod ſi *totius juris* nil cauſæ video, cur cum Tiraquello de nobil. c. 15. n. 6. & ſeqq. ambigamus, an adrogatus nobilitatis quoque particeps fuerit factus? Quamvis enim facile largiamur, nobilitatem illi *ingenitam* non fuiſſe, ut Tacitus vocat lib. 1. Annal. c. 29. habebat tamen, quamdiu in familia maneret, nec adoptio per emancipationem fuiſſet irrita facta, *jure civili*, ut ait Dio Caſſ. lib. 61. pr. effectus omnes juris imaginum, ex quo Quirites nobilitatem, non ex jure ſanguinis, metiebantur, auctore Plin.

Plin. lib. xxxv. Hiſt. nat. c. 2. juncta *l.* 13. *l.* 25. *l.* 44. *D. de Adopt. l.* 10. *D. de ſenat.* Sigon. lib. 11. de jure civ. Rom. cap. 20. & Huber. lib. 11. Obſ. jur. hum. c. ult. Hinc Seneca lib. 2. contr. 9. ait, Fabriciorum imagines Metellis patuiſſe, ſicut Æmiliorum & Scipionum familiæ adoptione commixtæ. Apud eundem lib. 2. contr. 12. Latro, paternam Caji & Lucii Cæſarum nobilitatem perſtringens, *multos adoptione nobilitatos* eſſe dixit. Quod vero de tribu & patria ſupra monuimus, idem & hic in memoriam revocandum eſt; nimirum filios, in alienam familiam tranſlatos, imagines familiæ domeſticæ, ſaltem recentioribus temporibus, non amiſiſſe. Sic Galba apud Tacit. lib. 1. Hiſt. c. 15. ait, ſe *Sulpiciæ ac Lutatiæ* nobilitatis *decora nobilitati* Piſonis adoptando *adjeciſſe.* Neque hoc familiæ tantum principalis privilegium; eadem enim ait futura, ſi eum *privatus lege curiata, apud Pontifices, ut moris eſt, adoptaſſet.* Similem in modum adoptatus ab Equite, perinde ac libertinus aureo annulo donatus, Equeſtris erat ordinis, Sueton. Claud. c. 24. Ald. Manut. lib. 1. epiſt. quæſt. c. 7. & quemadmodum Senatoris filius naturalis non poterat ducere libertinam, ita nec adoptivus *l.* 5. & 6. *D. de ſenat.* Denique uti decurionis filius corporis cruciatibus affici non pote-

poterat, ita nec *is, quem ad vicem naturalis pignoris tibi adſcribebas: cum adoptivum filium ex adoptantis dignitate decurionis filium effici, nulla dubitatio eſt*, ajunt Diocletian. & Maxim. in *l.* 4. *C. de decur.* In ſumma per adoptionem dignitas augeri, non minui poterat *d. l.* 35. *de adopt.* quia jam antiquitus cautum, ne quid de generum dignitate per adoptionem minueretur.

CAPUT IV.

De ritu parturitionis in adoptionibus plerarumque gentium.

Quod ſi igitur Adoptio eſt tanti momenti negotium, quo adoptati omnia jura, commoda & privilegia iſtius familiæ, in qua nati, amittunt, hereditatem vero nominis, pecuniæ & ſacrorum patris adoptantis acquirunt, ritibus & ſymbolis opus eſſe credidit felix majorum ſimplicitas; quaſi facilior ſit artis effectus, ubi naturæ imagines adhibentur. Primum & antiquiſſimum, quod reperio, Adoptionis ſymbolum, eſt partus ſimulatus feminarum adoptantium, & patrum adoptantium poſitio ſuper genua: nam quemadmodum patres naturales liberos recens natos, agnitos & e terra ſublatos, gremio ſuſcipiebant,

bant, ſic patres quoque adoptivi, naturæ imitatione, adoptandos propius in genua & gremium admovebant, credentes illa eſſe optima, quæ minime accerſita, quæque ſimplicibus & ab ipſa veritate profectis ſimilia ſunt. Dixi ſupra inter antiquiſſima adoptantium exempla in ſacris eſſe Jacobi Patriarchæ, is vero nepotes ſuos Ephraimum & Manaſſe adoptans, genibus eos impoſuit, quo filiis ſuis exæquati, iiſdem partibus hereditatem cernerent, & tam jure legeque filii eſſent, quam ſi ex femore ejus prodiiſſent. Moſes Geneſ. XLVIII. 9. *Dicente vero Joſepho patri ſuo, filii mei ſunt, quos dedit mihi Deus hic: dixit aſſumens, quæſo, admove eos mihi, & benedicam iis. Oculi enim Iſraëlis graves erant præ ſenio, nec poterant cernere. Sic poſtquam eos admoviſſet illi, oſculatus eſt eos, & amplexatus. Tum dixit Iſraël Joſepho, me viſurum faciem tuam non judicaveram, ſed ecce fecit Deus, ut viderem etiam ſemen tuum. Deinde abducens illos Joſeph a genibus ejus, incurvavit ſe in faciem ſuam.* Clarius adhuc ritus ille eſt in ejuſdem Patriarchæ liberis naturalibus adoptatis expreſſus: ut enim hi liberarum mulierum filiis pares fierent, Rahel dicebat: *Ecce ancillam meam Bilham, congredere cum ea, ut pariat ſuper genua mea, & liberos conſequar ex ea*, Geneſ. XXX. vſ 3. Locum hunc plerique

de

de adoptione acceperunt, Lyra, Pererius, Abulenſis, Grotius L. II. de J. B. & P. c. 7. §. 8. n. 2. & Joh. Clericus, in Comment. *Hæc*, inquit, *videtur velut adoptio fuiſſe.* Hoc amplius Honcala & Antonius Fonſeca ſcripſerunt, inde ritus adoptandi initium ſumſiſſe, & in perpetuum morem abiiſſe, ut adoptandi ſuper genua ſtatuerentur; quemadmodum ex illis refert Gonzalez Tellez ad l. IV. Decretal. de cognat. leg. cap. 1. n. 7. Hinc etiam Rabbini frequenter loca illa illuſtrant, quibus de eo, qui orphanum adoptat, Scriptura loquitur, ac ſi eum genuiſſet. Multa hanc in rem adferunt exempla, & in Gemara Sanhedrin fol. 19. ſic diſputant: Scriptum reperimus II Sam. XXI. vſ. 8. Michalam, Saulis filiam, quinque habuiſſe filios; cum tamen Mirob illos pepererit, Michal autem eos adoptaverit, qui ob hanc cauſam ejus quoque nomen tulerint, ac ex ipſa nati eſſe dicantur. Similiter Naemæ filius dicitur, quem duntaxat gremio ſuo impoſuerat, Rutha autem pepererat. Ruth. IV. vſ. 17. Enimvero adoptatum heredem vel ſucceſſorem relinquere, ſpecies eſt civilis generationis, atque ita loca quædam accepit Grotius ad Luc. III. vſ. 23. & Clericus ad Matth. I. vſ. 12. eodemque modo Latinos eſſe locutos, infra pag. 282. dicemus. Non minus

S faci-

facile nobis erit monſtrare, ad alias gentes; eundem partus ſimulandi morem propagatum eſſe. Filia namque Pharaonis Thermothe, vel, ut Joſephus Græce vocat, Thermuthis, Moſem adoptatura gravidam ſe eſſe finxit, auctore Philone Judæo lib. I. vit. Moſ. p. 605. *Illa videns eum ſupra ætatem proficere, ex adſpectu renovata, accenſaque benevolentia, facit filium ſuppoſititium, quæ jam ante muliebri arte finxerat ſe gravidam, ut nativus putaretur, non adſcititius.* Affinitatem quandam cum hac Moſis adoptione, ſicut & cum ejus expoſitione & educatione, habere videtur Herculis adoptio, de qua Diodorus Siculus lib. IV. c. 9. & inprimis c. 40, loco illuſtri & inſigni refert, Junonem, cum a Jove rogata eſſet, ut Herculem adoptaret, eum corpori ſuo inter genua applicuiſſe, & parientes imitatam eſſe: *Juno cum lectum ſuum aſcendiſſet, ſumtum juxta corpus Herculem per veſtes inferius demiſit, verum parium imitata; ſicut & nunc uſque in filiorum adoptione obſervant Barbari.* Nullus dubito, quin ritus ille, ſive vere fuerit adhibitus, ſive a Græcorum Poëtis confictus, ex Ægypto ſagace, quæ omnium fere ſymbolorum mater eſt, petitus fuerit: nam Herodotus lib. II. cap. 43. refert, vocem Heracles Ægyptiam eſſe, & Herculem ab Ægyptiis in duo-

duodecim deorum numerum relatum fuiſſe: item Cicero lib. II. de Nat. Deor. cap. 16. inter ſex Hercules unum, ait, Nilo natum tradi Ægyptium, qui Phrygias literas conſcripſerit, id quod ad Moſem referri poteſt. Quos autem *Barbaros* Diodorus, homo Siculus, & ſub Julio Cæſare ac Auguſto clarus, intellexerit, non temere dixerim: is enim ſicuti res Ægyptiorum, Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Carthaginienſium, Siculorum & Rhodiorum deſcripſit, ita magnam Aſiæ & Europæ partem, ipſamque, Ægyptum perluſtrando, crebrum moris illius uſum obſervaſſe videtur. Jam vero vel ex uno Strabonis teſtimonio notum eſt, Barbarorum nomen ad omnes eos, qui Græci non ſunt, tranſlatum eſſe, & in diviſione gentium Barbaros Græcis opponi. Nec tamen Græcos ipſos excluſerim, quia Rex Poetarum Homerus, cunctorum rituum peritiſſimus lib. IX. Iliad. cap. 489 Phœnicem ſenecionem ita introducit loquentem, de Achille adoptato:

- - - ὅ μοι οὔτι θεοί γόνον ἐξετέλειον
'Εξ ἐμεῦ. ἀλλά δε παῖδα θεοῖς ἐπείκελ Αχιλλεῦ
Ποιεύμην, ἵνα μοι ποτ' ἀεικέα λοιγὸν ἀμύνης.

- - - *quoniam mihi nequaquam dii prolem perficiebant*
Ex me: te ſaltem filium, diis par Achilles,

S 2 *Adop-*

Adoptarem, ut a me aliquando indignam mortem propulſares.

Antea vero *vſ.* 455. meminit moris, quo liberi in lucem editi avorum & patrum genibus imponebantur; idque a ſe patre adoptivo, ſi non ritu ſolenni, ſed ad menſam, factum tamen eſſe ſæpius, eoque modo ſe animum adoptandi cepiſſe, teſtatur *vſ.* 484. cui alia junge apud Feithium *Amtiq. Homer. lib.* 11. *c.* 18. & quæ ſupra dixi *pag.* 229. *& ſeqq.* Quicquid hujus eſt, tam altas radices ritus ille naturæ conveniens egit, ut multis etiam poſt ſeculis, ejus crebra veſtigia apud barbaros remotiſſimos reperiantur. Sic Princeps Edeſſæ, Græcus, hac ceremonia adoptavit Balduinum, auctore Alberto lib. III. cap. 21. *Balduinum, ſibi filium adoptivum fecit, ſicut mos regionis illius & gentis habet, unde pectore illum ſuo adſtringens, & ſub proximo carnis ſuæ indumento ſemel hunc inveſtiens, fide utrinque data & accepta.* Confirmat hoc ipſum Guilbert. lib. III. de geſtis Dei *c.* 12. *Adoptationis autem talis pro gentis conſuetudine dicitur fuiſſe modus. Intra lineam interulam, quam nos vocamus camiſiam nudam, intrare eum faciens, ſibi adſtruxit, & hæc omnia oſculo libato firmavit, idem & mulier poſtmodum fecit.* Nec aliter Gregor. Pachymeres refert, Mariam Cantacuze-

cuzenam, ſeu Palæologinam, Conſtantino Toecho, Bulgarorum Rege & marito extincto, Sphendiſthlabum, Deſpotam Bulgarorum adoptaſſe, & diducto pallio, Michaelem filium, una cum ipſo ulnis admoviſſe. Verba illius *lib* VI. *c.* 2. ſunt iſta: *Res palam in Eccleſia geſta eſt: poſt adhibitos ſolennes in talibus occurſus, benedictiones & ritus ceteros, magno allucentium funalium numero, Maria regium diducens pallium, ambos hinc inde ulnis admovit, Michaëlem puſionem, ac ſenem Sphendiſthlavum* &c. Quin imo adeo hic mos vulgatus & communis fuit apud Græcos recentiores, ut Anna Comnena Alexiad. lib, 2. pag. 44. Iſacium & Alexium, a Maria Auguſta κατὰ τὸν παρακολȣθήσαντα περὶ τῶν τοιȣ́των πάλαι τύπων, adoptatos eſſe referat. Albertus item l. 11. c. 16. de Godofredo, ab Alexio Comneno adoptato, contentus eſt dicere, *ſicut mos eſt terræ;* & Guilelmus Tyrius l. 11. c. 2. *Adhibita, juxta curiæ morem, ſolennitate quadam, quæ in ejuſmodi arrogationibus fieri ſolet, ſecundum regionis morem.* Idem porro confirmat Maurus Orbinus in Hiſt. Slavor. p. 464. & Surita. l. 1. Ind. A. C. 1034. eundem adoptandi morem Indis ordinarium fuiſſe, teſtatur. *Adoptionis jus illorum temporum, inſtituto more, rite ſancitum tradunt; qui is inoleverat, ut qui adoptaret, per ſtolæ fluentis ſinus, eum qui ado-*

ptaretur, traduceret. Denique Johannes Mariana lib. VIII de reb. Hiſp. c. 9. de Sanctia ſorore Roderici Velaſquii, Hiſpaniæ reguli, memorat, quod Mudarram, Laræ regulum, hunc in modum adoptaverit: *Ritus rudis quidem fuit, ſed inſignis gentique ſolennis. Quo die noſtra ſacra ſuſcepit, & balteo militari donatus eſt, a Garſia Fernando, Comite Caſtellæ, novercæ ampliſſimi induſii manica acceptus, collari etiam induſii capiti inſerto, additoque oſculo, in familiam tranſiit. Ex eo more vulgare proverbium manavit, Ingreſſus manica, collari tandem egreditur: de eo, qui ad familiaritatem admiſſus, majora ſibi indies ſumit.* Hinc etiam ritus in adoptione ſpirituali *mittendi ſub manto*, in Ceremoniali Cencii Camerarii, de inaug. Cæſaris: *Dominus Papa dicit, te recipio, ut filium Eccleſiæ, & mittit eum ſub manto, & ille oſculatur pectus Domini Papæ.* Nec alia quærenda eſt origo ſolennitatis, in legitimatione per ſubſequens matrimonium, ubivis fere uſitatæ, ut liberi naturales, ex concubina nati, in ipſis nuptiarum ſolennibus, cum patre & matre, pallio opperiantur, ut ab iis ex legitima conjunctione procreati, aut ritu civitatis a patre adoptati intelligantur, ſicut olim Romæ, ante *l. 7. C. de nat lib.* Teſtimonia Willelmi Gemmeticenſis, Roberti Lincolnenſis Epiſcopi, Seldeni

deni in diſſertat, ad Fletam c. 9. & aliorum collegit du Frene in Gloſſ. voce *Pallium.* Hodie *Mantelkinder* vocantur.

Caput. V.

De ritu adoptandi Romanorum domeſtico ad focum, velut ad aram Penatum, & in cubiculo, ante torum genialem.

Vidimus plus ſemel Romanos veteres, in publicis privatiſque rebus, maxime rituales fuiſſe, adeo ut ſi quædam apud Ægyptios, Phœnices aut Græcos obſervari viderent, ea plerumque, quaſi divini aliquid iis ineſſet, imitarentur: mirum ergo, ſi, ſolo populi conſenſu in arrogatione, & imaginaria venditione in adoptione contenti, a vetuſtioribus illis populis partus quandam ſimilitudinem & poſitionem ſuper genua non adoptaſſe, nec per colonias ad gentes divictas propagaſſe videantur. Cum enim adoptivos, fictione quadam & commento, tam jure legeque pro filiis haberent, quam ſi ex eo patre matreque familias nati eſſent, proximum erat, ut quod lex fingebat, id ſymbolo repræſentarent ſimplice, quodque ab ipſa veritate minimum abi-

abiret; maxime ſi infantes aut impuberes in numerum liberorum adſciſcerentur. Non equidem ſecta meorum ſtudiorum patitur, ut facile ſuperſtitioni donem artem pulcherrimam, aut levibus atque inanibus ſuſpicionibus ludibria quædam excitando efficiam, ut juris Romani majeſtas enervetur, & animi juvenum, ad magna ſurgentes, calumnia, velut peſtilenti ſidere, afflentur: neque tamen me poenitet conjecturæ, in vita Papiniani cap. VII. §. 5. olim propoſitæ, partus aliquod ſimulacrum nonnunquam, ab iis, qui ritibus antiquis vivebant, domi adhibitum fuiſſe, quo per ſenſus acutiſſimos, tactum & viſum, idea actus momentoſi, in mente arrogati excitaretur, & quod actum eſſet memoriæ ejus fidelius mandaretur. Diſplicuit illa hariolatio, Viro erudito, Anonymo Halenſi, in Bibliotheca noviſs. Obſervat. ſect. 1. & repetierunt alii rationes, quibus ille hanc ceremoniam, inter veteris Romæ inſtituta, haud numerandam eſſe, evincere eſt conatus. At præter Emanuelem Gonzalez Tellez, ad lib. v. Decretal. tit. 12. ab illo laudatum, idem fere olim ſederat Carolo Annibali Fabroto, in notis prioribus ad Theophilum §. 4. de adopt. ſcribenti: *Et forte ante genialem forum adoptio peragebatur.* Innocentius quod Cironius, in Paratitl. ad lib.

v. De-

v. Decretal. tit 12. in eandem Græcorum adoptandi rationem, per partum ſimulatum, laudavit Suidam in *Apelle*, etſi nihil horum ibi reperiatur. Mihi clariſſimus de ritu Romano locus videtur eſſe Plinii, in Panegyrico ad Trajanum c. 8. *Itaque non tua in cubiculo, ſed in templo, nec ante genialem torum, ſed ante pulvinar Jovis Optimi Maximi adoptio peracta eſt.* Ecce inter Trajani & aliorum Principum, maxime vero privatorum adoptionem hoc diſcriminis notat Plinius, quod ille non in cubiculo privato, ante genialem torum, ſed in publico templo, ante pulvinar Jovis, a Nerva in filium adſcitus eſt; certiſſimo indicio, præter mancipationem & vindicationem, quæ in foro apud magiſtratum fiebat, alios ritus domeſticos uſitatos fuiſſe. Ad publicum ritum imperio Conſulis, Præſidis vel alterius magiſtratus opus erat, qui legis actionem habebat. *l.* 3. *l.* 4. *D. de adopt. l.* 3. *D. de offic. Proc.* atque hæc eſt *ſolennitas*, cujus meminit Ulpian. in *l.* 25. §. 1. *D. de adopt.* & Impp. in *l.* 13. *&* 14. *C. de probat.* quæque teſtibus accitis in foro apud Prætorem fiebat. Appian. de Bell. civ. lib. III. pag. 534. *Accitos ſub noctem amicos juſſit Cæſar univerſos mane ſibi præſto eſſe, in foro cum comitatu idoneo: ubi Cajum, fratrem Antonii, Prætorem urbanum, accedens ait, ſe*

 adopti-

adoptionem accipere, qui mos Romanus eſt, adoptioni auctoritatem Prætoris interponere. Aliæ autem ceremoniæ fuerunt domeſticæ, quibus arrogatus vel adoptatus in jura domus & ſacra novi parentis tranſibat, quæque in *cubiculo*, ubi cubabant, & ante *torum genialem*, in quo liberis gignendis operam dabant, celebrabantur. Utcunque hic Plinii locus torqueatur, illud certum fixumque manet, Romanos imaginem quandam partionis ſibi ob oculos poſuiſſe. Hinc adoptivi *naſci*, *gigni*, *generari*, & dies adoptionis *natales* dicuntur. Seneca de brev. vitæ c. 15. *Nobis ad noſtrum arbitrium naſci licet. Nobiliſſimorum ingeniorum familiæ ſunt: elige in quam adſciſci velis: non in nomen tantum adoptaberis, ſed in ipſa bona.* Plinius in paneg. c. 92. *Menſis, quem tuus natalis exornat, principem abſtulit peſſimum*, Domitianum, *dedit optimum* Nervam, *meliorem optimo genuit* Trajanum. Et licet non deſint, qui verum & proprium genethliacum Trajani, ex vetere Kalendario Vindobonenſi, apud Lambecium lib. IV. Bibliothecæ pag. 276. hic intelligant, aliorum exemplis id ſatis confirmatur: nam Adrianus *natalem adoptionis* celebrari juſſit, Spartian. in vita ejus, & Eumenius *ortum* & *partum* vocat in paneg. c. 2. & 3. Denique Annæus Novatus, Senecæ frater, á Junio Gallione patre

tre adoptivo generatus dicitur, apud Statium lib. II. ſylv. 7. vſ. 31. *Hoc plus quam Senecam dediſſe mundo, aut dulcem generaſſe Gallionem.* Hoc amplius in cubiculo, ante torum genialem fiebat adoptio, quia ibi Genii & Lares, pariter ac in atrio, colebantur. Lares autem erant δαίμονες γενέθλιοι, dii genitales, in quorum honorem torus genialis in nuptiis ſternebatur. Feſtus: *Genialis lectus, qui nuptiis ſternitur, in honorem genii. Genius autem eſt deorum filius & parens hominum, ex quo homines gignuntur.* Apulej. lib. III. de Philoſ. *Dæmonas, quos Genios & Lares poſſumus nuncupare.* Cenſorin. de die nat. c. 3. *Eundem eſſe Genium & Larem, multi veteres memoriæ prodiderunt.* In conſpectu horum larium, tecti domuſque cuſtodum, ut Arnobius vocat, adoptio fiebat, non ſolum ob ſacra familiaria, quorum particeps fiebat adoptatus, ſed etiam ut iis inpoſterum commendaretur recens allectus, quia lares non modo ædes tueri, ſed etiam greſſus liberorum ſervare credebantur. Tibull. lib. I. Eleg. II. vſ. 15.

Sed patrii ſervate lares, aluiſtis & iidem,
Curſarem veſtros cum tener ante pedes.

Ante eosdem toga virilis ſumebatur, Propert. lib. IV. Eleg. I. vſ 132.

Mox ubi bulla rudi dimiſſa eſt aurea collo,

Matris

Matris & ante deos libera ſumpta toga.

Et quia focus laribus ſacer erat, filii adoptati, illum ceu aram, inter ritus reliquos, amplectebantur. Propert. lib. III. Eleg. 16. vſ. 11.

Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexo Cæſaris eſſe focos?

Loquitur de Marcello, ab Auguſto adoptato, uti Scaliger in caſtigationibus obſervavit: is enim deos Auguſti domeſticos, dum familiæ ejus inſerebatur, domeſtica religione veneratus eſt, Veſtam nimirum & laurigerum Phœbum. Ovid. lib. XV. Metam. vſ. 864.

Veſtaque Cæſareos inter ſacrata Penates:
Et cum Cæſarea tu Phœbe domeſtice Veſta.

Imagines larium in cubiculo ſuſpendebantur, cum ceterorum numinum ſimulacris, quæ tori genialis curam habere exiſtimabantur, Sueton. lib. VIII. c. 17. ſed ara deorum domeſticorum erat *focus*. Cicero pro domo cap. 41. *Hic aræ ſunt, hic foci, hic dii penates, hic ſacra religionis ceremoniæ continentur.* Valer. Max. lib. II. c. 4. *Aquam calidam filiis a foco petens, genibus nixus Lares familiares oravit.* Horatii Scholiaſtes Ep. 2. *Juxta focum dii penates poſiti fuere, laresque inſcripti: idcirco quod ara deorum larium focus fuit.* Similem in modum uxor coemta, cum ad maritum dedu-

deduceretur, tres aſſes ei adferebat; auctore Nonio Marcello, quorum unum, *quem in pede haberet, in foco Larum familiarium ponere* ſolebat, non alio fine, quam ut unam ſe habiturâm domum, & communia omnia, divina atque humana fore, teſtaretur *l.* 1. §. 15. *D. ad SCt. Silan. l.* 4. *C. de crim. ſacril.* Cic. *lib.* 1. *de offic. c.* 17. Lucem quoque inſignem mutuatur ex his, quæ hactenus diximus, quod Tacitus lib. 1. Annal. cap. 14. ſcribit, Tiberium, repreſſa Patrum adulatione erga Liviam, ab Auguſto adoptatam, *aram adoptionis* ei decerni non paſſum eſſe. Male quidam *araque adoptionis* legendum contendebat, quem Lipſius recte refellit: nec tamen cum illo ſufficit dixiſſe, more Romano, propagandæ memoriæ cauſa, aras ſtatui ſolitas rei, quam cuperent laudatam: nam in veris Principum adoptionibus libis ac victimis erat locus, & ara adhibebatur pro ſplendore auguſto; Liviæ vero aram poni prohibuit Tiberius, quia moderandos cenſebat feminæ honores, quæ teſtamento tantum in familiam Juliam, & nomen Auguſtæ adoptata erat, nulla ara fumante. Plinius in Paneg. c. 1. de adoptione Trajani abſentis, in Capitolio facta: *ab ipſo Jove Princeps noſter coram & palam repertus, electus eſt; quippe inter aras & altaria eodemque loci, quem deus ille tam manifeſtus ac præ-*

ſens,

ſens, quam cœlum ac ſidera inſedit. Deinde cap. 8. *Tua adoptio ante pulvinar Jovis Optimi Maximi peracta eſt*, id eſt, alii Principes, more privato, ante torum genialem adſciti ſunt, te vero Nerva ſolenni ſacrificio facto, præſente Senatu & populo, publice filium declaravit, ante lectum Jovis ſimulacro adſcriptum, ad quem ſacrificia fiunt & dapes apponuntur. Scribunt Dio & Cedrenus, eum, cum thure ſupplicaſſet, magna voce exclamaſſe: *Quod felix fauſtumque Senatui, Populoque Romano mihique ſit, M. Ulpium Trajanum adopto.* Reliquis ceremoniis nullus tunc erat locus; quia Trajanus abſens Coloniæ Agrippinæ eo tempore Germaniæ inferiori præſidebat, auctore Plinio, Sidonio, Eutropio aliisque. Hinc licet Nerva & Trajanus, in nummo aureo, dextras jungentes conſpiciantur, minime cum Boeclero eſt exiſtimandum, ut ſupra jam tetigi pag. 261. ritum privatorum exprimi, qui adoptandos manu tenebant: neque nummus iſte, cum Triſtano, ad Trajani reditum ex provincia eſt reſtringendus, quaſi Nerva ei, coram excepto, manum porrexerit, in fidem adoptionis: nam idem dextræ junctæ ſymbolum, a ritu aliorum adoptantium petitum, cernitur in nummo Hadriani, à Trajano adoptati, quos nemo dixe-

dixerit, ſe coram poſt adoptionem adlocutos eſſe. Plura de adoptione Trajani dabit Cujac. lib. lib. XII. obſ. c. 15. Raph. Fabrett. de column. Traj. c. 9. Toinard. ad Lactant. de mort. perſecut. c. 18. & Dodwellus append. ad diſſert. Cyprian. §. 39. ſeqq. Nobis ſufficit, quod, ex Pliniana oppoſitione diverſarum adoptionum, ſententiæ noſtræ non exiguum robur accedit, quæ alio quoque argumento fulciri poteſt. Ecce enim pulvinar deorum opponit thalamo & pulvinari geniali, uti Catullus appellat carm. 62. vſ. 46. quia ſicut infante naturali nato, quinto die, boni ominis cauſa Pilumno & Picumno, in atrio, hoc eſt celeberrimo ædium loco, & maxime conſpicuo, vel in cubiculo ante puerperæ lectum, ſacer lectus ſternebatur, ita etiam filio civili adoptato, & ad Penates deos deducto, ut exploraretur, an utilis eſſet futurus. Varro lib. II. de vita pop. Rom. *Natus, ſi erat vitalis, ac ſublatus ab obſtetrice, ſtatuebatur in terra, ut auſpicaretur rectus eſſe: diis conjugalibus Pilumno & Picumno in ædibus lectus ſternebatur.* Servius ad lib. X. Æneid. vſ. 76. *Varro Pilumnum & Picumnum infantum deos eſſe, ait, eiſque pro puerpera lectum in atrio ſterni, dum exploretur, an utilis ſit, qui natus eſt.* Poſtea die octavo, vel nono, qui luſtricus erat, ſolenni ritu nomen imponebatur, advo-

advocatis omnibus cognatis & amicis, qui votis intereſſent, uti vel unus oſtendit Suetonius lib. VI. c. 6. & ex Feſto, Plutarcho, Symmacho & Macrobio omnibus notum eſt. Tertullianus diem illum *Nominalia* appellavit lib. de idololatria cap. 16. *Circa officia*, inquit, *privatarum & communium ſolennitatum, ut Togæ puræ, ut Sponſalium, ut Nuptialium, ut Nominalium, nullum putem periculum obſervari de flatu idololatriæ, quæ intervenit.* Magna vero religio in electione nominis, ex quo futuræ felicitatis omen captabant, quod idem lib. de anima indicat c. 39. *In partu & Dianæ ejulatur, per totam hebdomadam Junoni menſa proponitur, ultima die fata ſcribunda advocantur.* Quis vero dubitet, eadem ſolennia, immo majora, dum nomen adoptivis indebatur, obſervata fuiſſe? ſaltem *domeſtica religione*, ut Suetonius de natalibus cultis loquitur. lib. v. c. 12. nam pontifices quoque ad arrogationem vocabantur, & ſacra fiebant, uti ex Appiano & Cicerone ſupra vidimus pag. 256 & 258. Tunc ergo in ſolenni convivio, dapes delibatæ in focum, velut ſedem Larium, vel in aram auguſtius inferebantur, quæ *ara adoptionis* dici poteſt. De privatorum libationibus rerum menſæ appoſitarum, & in patella ad focum delatarum, ut adolerentur, Perſius loquitur ſat. 3. *vſ.* 26: *cul-*

trixque

ſtrixque foci ſecura patella eſt. Inde Lares *patellarii dii* Plauto, quod ipſis dona in patellam, μικρὸν κρέας, ut Varro in Manio ajebat, & vaſa fictilia dabantur. Tibullus Lares compellans lib. 1. Eleg. 1. *vſ.* 29.

Adſitis, Divi, neu vos de paupere menſa
Dona, nec e puris ſpernite fictilibus.

Quod ſi porro hic in memoriam revocare lubeat, quæ ſupra de genibus, ſinu & gremio, miſericordiæ, tutelæ & amori conſecratis vidimus pag. 225 & 229. nemo dubitabit, eadem ſymbola in adoptione uſitata fuiſſe. Diximus Homerum Iliad 1. *vſ.* 455. ritus antiquisſimi, quo infantes recens nati genibus patris imponebantur, meminiſſe, & nonne ſimiliter Auguſtus puer *in gremio Capitolini Jovis* viſus eſt, tanquam qui ad tutelam Reip. educaretur? Sueton. lib. 11. c. 94. Inſanus Caligula Juliam ſuam Druſillam, tanquam in adoptionem datam, *Minervæ gremio impoſuit*, auctore eodem Suetonio lib. IV. c. 25. vel uti Joſephus lib. XIX. Antiq. c. 1. rem narrat: *Eo inſania proceſſit, ut, cum filia ei nata eſſet, eam in Capitolium delatam, in ſimulachri genua deponeret, communem ſibi cum Jove prolem eſſe dicens, duoſque ſe ei patres ſtatuere, adjecto, ſe in medio relinquere, uter horum major ſit.* Similiter Claudius Agrippinam filiam, & alumnam, & *in gremio ſuo natam at-*

que educatam prædicabat, Sueton Claud. c. 39. Sic omnis reſpublica in *Veſpaſiani ſinum ceſſiſſe* dicitur apud Tacit. III. Hiſt. c. 69. Domitianus, imperium adeptus, Jovi cuſtodi templum ingens, ſeque *in ſinu dei ſacravit*, apud Tacitum lib. III. Hiſt. c. 74. Nec quidquam fuit frequentius, quam ut Imperatores laurum victricem *in Jovis genibus*, *vel in gremio Jovis* deponerent, quoties lætitiam nova victoria attuliſſet; uti ex Plinio, Dione & Statio Lipſius docuit ad Taciti lib. II. Annal. Exc. D. Similem quoque ritum eorum, qui adoptabant, vel alumnos ſibi adſciſcebant, Papinius Statius lib. II. ſylv. I. *vſ.* 78. indicare videtur, ubi de Glaucia, Melioris alumno, canit hoc modo:

- - - raptum te protinus alvo
Suſtulit exultans, ac prima lucida voce
Aſtra ſalutantem dominus ſibi mente dicavit,
Amplexuſque, ſinu tulit, & genuiſſe putavit.

Addo Claudianum de Nuptiis Honor. *vſ.* 39.

- - - o patrui germen, cui nominis heres
Succeſſi, ſublime decus torrentis Iberi,
Stirpe ſoror, pietate parens, tibi creditus infans
Inque tuo crevi gremio, par tuque remoto,
Tu potius Flaccilla mihi.

& in laudem Serenæ *vſ.* 104.

Defuncto genitore tuo ſublimis adoptat
Te patruus, magnique animo ſolatia luctus

Reſti-

Reſtituens, propius, quam ſi genuiſſet, amavit. Atque his poſitis belle illuſtrari poteſt, quod Papinianus adoptionem *imaginem* vocat, qua *veritas naturæ* adumbrari non debeat *l.* 23. *D. de lib. & poſthum.* idemque alibi *adoptionis commentum* appellat in *l.* 76. *D. de cond & dem.* & Juſtinianus jura patris naturalis, nexu divino copulata, *adoptionis ludibrio* vetat defraudari, in *l.* 10. *C. de adopt.* Nam licet hæc omnia ad fictam filiationem poſſint referri, quæ non per actionem naturæ, ſed legis, & commentitio modo inducitur, ſimul autem in pleriſque naturæ convenit, & *naturæ ſimilitudo* appellatur a Cajo lib. 1. tit. 7. Licet etiam recte varia conſectaria inde deducantur, apud Alteſerram de fiction. tract. 1. c. 1. & 8. & Anton. Fabrum Juriſprud. Papin. tit. 10. princ. 3. & 4. illat x1. tamen fortiores illæ videntur eſſe locutiones, quam ut in hac explicatione acquieſcere debeamus. Quid enim, quæſo, eſt *imago*, niſi imitago, qua figuræ ſimilitudo exprimitur? Sic imaginaria ſervilis cauſa in *l.* 3. *D. de cap. min.* eſt ſervitus per imaginem repræſentata, non quam ſolo animo imaginamur: item imaginaria venditio eſt, in qua unus nummus, dicis cauſa, interveniebat, nullo pretio accedente *l.* 10. *D. de acq. vel am. poſſ. l.* 15. *de R. J.* Sic Cicero lib. III. de offic. cap. 17. ſolidam & expreſſam juſtitiæ

germanæ effigiem imaginibus ejus pictis & fucatis opponit: Livius lib. XLI. c. 8. imagines juris opponit legum veritati; Virgilius lib. II. Æneid *vſ.* 369. *plurima mortis imago;* Claudianus in Rufin. lib. II. *vſ.* 236. *belli civilis imago;* Silius Italicus lib. XIV. Punic. *vſ.* 365. *clamat ſcopulis clamoris imago;* Auſonius epiſt XXV. *vſ.* 10. *nemorum vocalis imago.* Idem de vocibus *commenti* & *ludibrii* habendum eſt, quæ plus quam imaginariam venditionem ſeſtertio nummo, imo tale quid, quod ſpectaculo ludum facit, indicare videntur: nam ſupra dixi pag. 207. ſolennia cretionis, non ſatis nobis cognita, alibi ſimiliter *cretionis commentum*, alibi *ſcrupuloſam ſolennitatem* vocari, in *l.* 1. *& l.* 8. *C. Th. de mat. bon.* Atque hæc ad ceremoniam priſcam demonſtrandam ſufficere poſſunt arbitris æquis, & ſymbolici Romanorum ingenii peritis, nec alia addo argumenta, quæ in turba tantum, & ne vix quidem, valere poſſunt. Hæc inter refero, quod Diodorus Siculus, in loco ſupra pag. 273. exſcripto, ait, ritum partionis in adoptionibus, ad ſuum uſque tempus, a *barbaris* obſervatum eſſe; quamvis enim Itali non modo apud Græcos, ſapientia ſua inflatos, ſed etiam apud Paulum Apoſtolum, Plautum, Feſtum, Tibullum, Plutarchum barbari appellentur, nimis tamen Latinæ linguæ

guæ peritus fuit Diodorus, & diligentius evolvit priſcos Romanorum commentarios, quam ut contendere auſim, eum vicinos Quirites ſub barbaris comprehendiſſe. Ejuſdem farinæ eſt, quod in formula adrogationis, apud Gellium lib. v. cap. 19. in priſcis editionibus legitur: *vitæ neciſque poteſtas in eo ſit, uti pariendo:* quod verbum Joh. Livinejus ad lib. 1. Propert eleg. 3. retinet & explicat, qui partu editus eſt; ſed Anton. Auguſtinus de legibus c. 8. & Franciſcus Hotmanus, in libro de formulis antiq. jam ante Gronovium monuerunt, legendum eſſe vetuſte: *uti patriendo filio eſt*, id quod Cicero, pro domo, confirmat: *poteſtatem haberet, ut in filio.* Denique ad domeſticam religionem unice non traham, quod Sueton lib. 11. cap. 64. ſcribit: *Cajum & Lucium adoptavit domi, per aſſem & libram emtos a patre Agrippa:* licet enim imperio magiſtratus adoptarentur, qui in poteſtate parentis eſſent, non tamen opus erat, ut actus voluntariæ juriſdictionis fieret in foro, pro tribunali, ſed, ex Neratii ſententia, magiſtratus, apud quem legis actio eſt, etiam *apud ſe*, liberos in adoptionem dare, vel accipere poteſt. *l. 4. D. de adopt.* ut minime opus ſit, cum Caſaubono, *domi* per *in domum* explicemus, vel cum aliis Auguſtum legibus ſolutum eſſe dicamus; ipſe enim

tertium nepotem Agrippam, & privignum Tiberium adoptavit, in foro, lege Curiata; quia hi morte parentium erant patresfamilias facti, neque aliter quam conſenſu populi, coram Pontificibus, adrogari poterant, Sueton d. l. 11. c. 65. Plura de Cæſarum illorum adoptione, vide apud Noriſium ad cenotaph. Piſana. diſſ. 11. cap. 1. Nobis unum reſtat, ut quanti ponderis ſint videamus, quæ eruditus Cenſor Halenſis noſtræ ſententiæ amice obmovit, quæque alii repetierunt, etiam qui non ignari, ipſum poſtea in Bibliotheca mixta Germanica cenſuræ ſuæ repudium miſiſſe. Huc pertinet, quod qui uxores non haberent, filios adoptare poſſent *l.* 30. *D. de adopt.* quod ſi filium adoptaverim uxor mea illi matris loco non eſt, quia ei non adgnascitur. *l.* 23. *D. eod.* quæque id genus ſunt alia leviora, de vocibus *cubiculi* & *Barbarorum*, & de *fulcro geniali* apud Propertium. Verum omnia illa cadunt, ſi modo ritus publicos a domeſticis diſtinguamus, & hos, neque ſemper & ab omnibus, neque cum ſingulari effectu, adhibitos eſſe putemus. Muliere ſane ad hunc actum non erat opus: nam uti vox τικἶειν, quæ feminei ſexus eſt, apud Homerum & Heſiodum ad mares quoque transfertur, ita ſolus adoptans rem omnem abſolvebat. Is ore pariebat, inſtar muſtelæ, nulloſque

oſque nixus ſentiebat graves; nullam Juno Lucina ferebat opem; nullos deos nixios, θεοὺς γενεθλίους invocare erat neceſſe, nec ulla hic ὀμφαλητομία habebat locum; ſed *dicis cauſa fiebant quædam, neque item facta, neque item dicta ſemper*, ait Varro lib. v. de LL. Alios quoque credam rudia illa ſymbola mature neglexiſſe; alios vero, ex vulgi ſuperſtitione, quædam in uſu retinuiſſe: nam Perſius docet luſtrandi partes, in vero puerperio, anuum recoctarum & piatricum mulierculaarum proprias fuiſſe, quas Plutarchus, de ſuperſtitione, γρᾳίας περιμακτρίας vocavit. Verba Perſii ſat. II vſ. 31.

Ecce avia, aut metuens divûm matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque, atque uda labella
Infami digito, & luſtralibus ante ſalivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

Nec quemquam turbare debet ſilentium Hiſtoricorum aut JCtorum de hoc ritu: multa enim, poſt ingens librorum naufragium, ab uno tantum tradita ſcimus, licet inſignita & quotidiana: unus Propertius morem mutandi januam, mutato in nuptiis ſecundis lecto geniali, expreſſit: unus Herodianus meminit moris ignem præferendi Imperatoribus: unus Appianus nos docet, quale fuerit Varronia-

ronianum opus, quod *Tricipitinam* inſcripſit: unus quoque eſt Modeſtinus, qui tradit, Carthaginem aratrum eſſe paſſam in *l.* 21. *D. quib. mod. uſusfr.* ut alia mittam, a Pomponio, Gellio & Servio memoriæ mandata. Nolim quoque hæreamus circa effectus hujus ceremoniæ: nam licet uxor adoptantis, vel vidua, quæ beneficio Principis ipſa adoptat, filium in gremium ſinumque ſuum adſciverit, non magis inde in eam patria & civilis redundabat poteſtas, quam filiæ ex matris poteſtate non poterant dici exiiſſe, quod ex ejus gremio, ut Virgilius, Catullus & Feſtus docent, a ſponſo abducebantur. Omnia illa dicis cauſa fiebant, ut religioni, mori, & conſuetudini, imagine quadam & φαντασίᾳ ſatisfieret; ſicut nubentes puellæ ſponſum ſibi coëmebant, & mariti poſtes oleo ungebant, quæque id genus ſunt alia. Quid multa? Matrisfamilias ipſa arrogationis formula meminit apud Gell. lib. v. c. 19. & Plinius in paneg c. 7. tranſlate dicit, multos principes e *ſinu uxoris* acceptos eſſe, qui in gratiam uxoris erant adoptati. De voce *cubiculum* vid. Cerda ad lib. XII. Æneid *vſ.* 144. *De toro geniali* Lipſ. lib. I. Elect. c. 17.

C A-

CAPUT. VI.

De ſymbolis adoptionis divinæ, in Circumciſione, Baptiſmo Proſelytorum Judaico, & in Baptiſmo Chriſtianorum.

Superior obſervatio lucem dabit & accipiet a ſymbolis Adoptionis divinæ, in quibus conſtituendis, ipſe Deus Optimus Maximus ad generationem, vel ad regenerationem alluſit. Enimvero ex omnibus populis, quibuscum Deus adoptionis fœdus inire dignatus eſt, uni ſunt Judæi, qui idcirco filii Dei *primogeniti* appellantur, Exod. IV. *vſ.* 22. Deut. XIV. *vſ.* 1. Jerem. XXXI. *vſ.* 9. Abrahami familiæ deinde, tanquam credentium parenti, ſurculorum inſtar, inſitæ ſunt gentes, Rom. XI. *vſ.* 17. quæ baptizatæ & regeneratæ per Spiritum Sanctum accipiunt jus filiorum Dei, Joh. 1. *vſ.* 12. Symbolum pacti, cum Abrahamo initi, fuit Circumciſio, quæ & ſigni & ſigilli vicem præſtabat: hinc διαθήκη περιτομῆς, Geneſ. XVII *vſ.* 11. Act. VII. *vſ.* 8. vocatur; Paulus ad Rom. IV. *vſ.* 11. eam σημεῖον τῆς περιτομῆς, καὶ σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης, Philo Judæus in lib. de circumciſione, σύμβολον ἡδονῶν ἐκτομῆς, ſymbolum exciſionis

ſionis voluptatum appellavit. Quemadmodum enim Ethnici, ſi Numinis alicujus ſacris initiabanrur, χαράγματα & ſtigmata quædam, in fronte, manu vel brachio ferro ignito inuſſa accipiebant, per quæ Dæmonum cultui mancipati cenſebantur Levit. XIX. *vſ.* 28 Apoc. XIII. *vſ.* 16. Philo de monarch lib. 1. Lucian. de Dea Syr. & Prudent. περὶ ςεφαν. hymn. 10. ita Deus Abrahamo dedit ſymbolum circumſionis, tum ut ejus poſteri hac nota a ceteris diſtinguerentur, tum ut ſignum haberent, quo homines externi ſanguinis religioni Judaicæ initiarentur, illique in numerum civium Iſraelis ſe adoptatos & beneficiorum divinorum participes eſſe meminiſſent. Calvinus ad Geneſ. XVII. *Circumciſio*, ait, *fuit quaſi ſolenne monumentum ejus adoptionis, qua genus Abrahæ electum fuerat in peculiarem Dei populum.* In membro autem generationis miniſtro Deus ſymbolum illud conſtituiſſe videtur, partim ut indicaret, opus eſſe circumciſione cordis, & animo ab impuris affectibus purgato, Deut. X. *vſ.* 16. Jer. IV. *vſ.* 4. partim etiam, ut firmaretur promiſſio Dei, ſemen Abrahami, ſe tanquam ſtellas cœli multiplicaturum, & in eo omnibus gentibus benedicturum Gen. XXII. *vſ.* 17 atque hanc rationem ſecundariam adfert Philo de circumcis. ἡ πρὸς πολυγονίαν κατασκευή, *ad numeroſam ſobo-*

ſobolem procreandam præparatio. Vid Spencer de LL. Hebr. ritual lib. I. c. 4. ſect. 2. Præter circumciſionem aliud fuit adoptionis ſymbolum, in Baptiſmo proſelytorum, qui clariſſime regenerationem nobis repræſentat. Erat autem baptiſmus ille, á βαπτειν tinctorum verbo dictus, luſtratio ſolennis, qua gentiles, Judaicam fidem amplexi, cujuſcunque ſexus, ætatis & conditionis, præſentibus Triumviris, aquis abluebantur, ut velut renati novi homines, & a ſordibus purgati, membra fierent novæ ſocietatis, vid. Arrianum ad Epictet. lib. II. c. 9. Effectus hujus baptiſmi erat priſtini generis & cognationis abolitio, & regeneratio, qua initiatus infanti recens nato ſimilis habebatur. Hinc cum Nicodemus non intelligeret dictum Chriſti, oportere nos denuo naſci, is ei reſpondebat: *Tune es* διδάσκαλος τῦ Ισραὴλ, *magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Joh. III. *vſ.* 10. exprobabat enim ei, quod ignoraret regenerationis doctrinam, quæ per baptiſmum proſelytorum ſignificabatur, qui ab eo die recens nati Iſraëlitæ, & fœderis participes habebantur; uti pluribus ex Gemara Babylon. & Maimonide Seldenus. lib. II. de jure nat. & gent. c. 3. 4. de ſucceſſ' in bona def. c. 26. & inprimis doctiſſimus Joh. Andr. Danzius, in duabus diſſertationibus, de hoc argumen-

to docuerunt. Similem quoque in modum apud gentiles ad communionem ſacrorum profani non admittebantur, niſi corpore prius ſufficienter luſtrato. Sic enim Apulejus ſuam ad cultum Iſidis initiationem deſcribit lib. XI. Metam, *Me religioſa coborte deducit ad proximas balneas, & prius ſacro lavacro traditum puriſſime circumrorans abluit.* Vid Caſaubon ad Theophr. charact. pag. 288. Spanhem. ad Callimach hymn. in Apoll. *vſ.* 2. & Petr. Halloix vit. Juſtin. Mart. c. 16. Ritus vero ille luſtrandi eſt antiquiſſimus, & inde jam a Jacobi & Moſis temporibus derivatus, Geneſ. XXXV. vſ. 2. Exod. XIX. vſ. 10. Num VIII. vſ. 7 eoque animæ ſordes eluendas eſſe notabatur Pſalm. LI. vſ. 4. Jeſ. LXVI vſ. 17. Jerem. II. vſ. 22. Sacerdotes autem gentilium alias atque alias purgandi ceremonias, novosque καθαρμὺς ἀκαθάρτυς, ut Clemens Alexandrinus vocat, excogitarunt, ut quæſtuoſam luſtrandi artem inter ſuos exercerent; ſicut ejus rei plurima exempla protulit Spencer de leg. rit. Moſ. lib. III. diſſ. 3. c. 3. ſect. 2. In primis etiam luſtrabantur infantes recens nati, quando vivo flumini immerſi, & luſtralibus ante ſalivis expiati, non modo ad corporis duritiem, ſed etiam ad puritatem animi lavabantur; uti de Celtis Ariſtoteles, de Germanis Cæſar, de Romanis Perſius ſat. II. vſ.

33

33. ibique Caſaubonus in comment. multis oſtenderunt. Potuit hic ritus ſimpliciſſimus ſe illorum animo, ſine aliorum imitatione, obtuliſſe: ſed Baptiſmum initiationis apud Chriſtianos, a Baptiſmo proſelytorum Judaico ſumtum eſſe, multi contendunt; quibus Nortonus Knachtbull, miles & Baronettus Anglus, in animadv. ad Nov. Teſt. 1. Petr. 111. vſ. 20 acriter contradixit; ſed uterque baptiſmus, ratione præviæ inſtitutionis, examinis, confeſſionis, merſionis, teſtium adhibitorum, & inprimis ratione ſymbolicæ regenerationis & adoptionis conveniunt: nec forſan dignitati ſacramenti noſtri ſanctiſſimi aliquid decedit, ſi baptiſmum Johannis metatoris, qui Senatui Judæorum non novus videbatur, a Judæis petitum eſſe exiſtimemus: id enim ſacerdotes & levitæ tantum culpabant, quod cum neque Triumvir, neque Propheta eſſet, ipſe privata auctoritate, etiam illos, qui in majoribus jam baptizati erant, neque ad doctrinam Moſaicam, ſed regni cælorum, mox revelandam, initiaret. Joh. 1. vſ. 25. Quicquid ejus eſt, ſicut in Judaiſmum adoptandi priſtinæ renuntiabant familiæ & majorum inſtitutis, ſic quoque in baptiſmo valedicimus Adamo, parenti noſtro, & in Dei familiam tranſſcribimur: & ſicut Judæorum magiſtri, inter alios baptiſmi ſui effectus, valde deprædicant rege-

gene-

generationem, ita & baptiſmi noſtri ritus externus, & interna inprimis ablutio, *λυτρὸν ἀναγωννήσεως*, *lavacrum regenerationis* vocatur Tit. III. vſ. 5. Non urgebo dictum Chriſti Joh, III. vſ. 5. *niſi quis genitus fuerit ex aqua & ſpiritu*, quia nonnulli illud ad aquam obedientiæ Chriſti referunt, Ezech. XXXVI. vſ. 25. Neque me latet, quam accurate Theologi noſtri diſtinguant *adoptionem*, quæ eſt pars juſtificationis, ſolaque nititur electione æterna, & obedientia Chriſti, a *regeneratione*, quæ eſt initium ſanctificationis, & ipſius adoptionis fructus; & a *ritu baptizandi*, qui ablutionem & reſurrectionem ex morte peccati adumbrat: nil tamen vetat hæc conjungi, quia adoptante Deo homo neceſſario regeneratur, & qui reſurgit ex morte ſpirituali novus fit homo, atque in eundem locum per *παλιγγενησίαν* reſtituitur, à quo per lapſum dejectus erat. Audiamus Clementem Alexandrinum lib. I. Pædagog. c. 6. *Baptizati illuminamur, illuminati adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur.* & Calvinum ad Act. II. vſ. 38. *Baptiſmus ſigillum eſt, quo Deus hæc nobis confirmat, adeoque arrha & pignus adoptionis noſtræ.* Manifeſto etiam mortificatio, regeneratio & vivificatio, de quibus Paulus agit Rom. VI. vſ. 2. & ſeqq. in ſymbolo trinæ merſionis depingitur, ut vetus ho-

homo; ſeu corpus peccati, mortuus & ſepultus, novus autem homo reſurrexiſſe cernatur. Ambros. lib. II. de ſacram c. 7. *Interrogatus es; Credis in Deum, patrem omnipotentem? dixiſti Credo, & merſiſti, hoc eſt ſepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & in crucem ejus? dixiſti Credo, & merſiſti, ideo & Chriſto es conſepultus. Qui autem Chriſto conſepelitur, cum Chriſto reſurgit. Tertio interrogatus es, Credis & in Spiritum ſanctum? dixiſti Credo: tertio merſiſti, ut multiplicem lapſum ſuperioris ætatis abſolveret trina confeſſio.* Hinc Cyprianus plus ſemel vocat *aquam genitalem.* Juſtinus Martyr Apol. 2. *Eo ducimur, ubi aqua eſt, & eodem regenerationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur.* Prudentius Apotheos. vſ. 924.

Inde ſecunda redit generatio, & inde lavatur
Natura inluvies, iterumque renaſcimur intus
Perfuſi, ut veterem ſplendens anima exuat Adam.

Hinc Deus omnium adoptatorum pater, & omnes Chriſtiani fratres & ſorores dicuntur, quia ex eodem lavacro regeniti ſunt, & familiæ Dei participes facti 1. Corinth. IX vſ. 5. Sedulius lib. II. carm. vſ. 234.

- - - Orate patrem baptiſmate noſtrum,
Jure ſuum propriumque homini conceſſit honorem

Et

Et quod ſolus habet cunctos permiſit habere.
Qui dominum cœli patrem memoramus, in ipſo
Jam fratres nos eſſe decet:
Fecit adoptivos cœleſtis gratia natos.

Neophyti etiam, quaſi nuper ad vitam æternam renati, appellantur infantes, apud Zenonem Veronens. ſerm. 1. ad Neophyt. quia ut Paulin lib. 1. de vita S. Martini canit:

Ille autem ut penitus vitam poſt fata novaret,
Confeſtim æterna nituit renovatus ab unda.

Contra baptiſmi expertes, vel infantes, quorum baptiſmus certis ex cauſis differebatur, *pagani* vulgo, vel *ethnici* audiebant, non tantum apud Slavos, de quibus Conſtantinus de adm. imp. c. 29. ſed etiam apud alios. Lambertus Ardenſis: *Qui Nochutenſis domini filium, jam decennem, & ſine baptiſmo, patrum negligentia, ad gentilis imitationem ſqualoris adhuc permanentem, & uſque ad hoc & ob hoc Paganum vocatum baptizavit.* De infante, ſine baptiſmo mortuo, ſimiliter Leges Presbyterorum Northumbrenſium, in conciliis Anglicanis, circa A. 977. c. 10. *Si exactis noctibus, per negligentiam mortuus fuerit, componatur utique apud Deum, quod infans tam diu fuiſſet Ethnicus.* Hinc denique in Litania vetere, apud Caniſium t. v. antiq. lect. fons baptiſmi *parturire*, & ipſum baptiſterium

rium *uterus* dicitur, uti quibuſdam exemplis Vincentius Riccardus oſtendit ad Procl. orat. 5. Si quis forte objiciat, aquam generationis ſymbolum eſſe non poſſe, quum vim procreandi & gignendi igni tribuerit Theophraſtus; ei opponam Plinii auctoritatem, qui lib. xxxi. Hiſt. nat. cap. 1. aquas cadentes omnium terra naſcentium cauſam fieri ait: neque is ſolus, ſed & multi veterum Græcorum ex aqua principium ſuum habere pleraque putarunt; quorum opinionem Thales quoque Mileſius amplexus eſt, auctore Diogene Laertio lib. 1. ſegm. 27. ubi quædam Menagius, plura Auctor obſervat. Halenſ. t. 2. obſ. 18. notavit. Recte ergo proprium illud Chriſtianæ gentis ſignaculum, & ſpiritualis quaſi janua, per quam introducti Eccleſiæ adjunguntur, hoc ſymbolo fuit adumbrata; quia aqua cum occulto gratiæ divinæ fructu effectuque inſignem habet convenientiam, & pulchre Grotius, in epiſt. ad Martinum Ruarum 336 atque Durantius lib. 11. Variarum c. 2. obſervarunt, omnes fere populos in eo conſpiraſſe, ut emendatio vitæ ablutionis, magna autem mutatio merſationis ſigno exprimeretur. Adde, quod ratio luſtrationis exegerit, ut immerſio vel adſperſio ter fieret, Virgilius lib. vi. Æneid. vſ. 229.

Idem ter ſocios pura circumtulit unda;
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ,
Luſtravitque viros.

Perſius Sat. 2. vſ. 15.

Hæc ſancte ut poſcas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

Vetus Horatii Scholiaſtes ad lib. 1. epiſt. 1. vſ. 37. in explicatione vocum: *Ter pure lecto*, annotat: *ut ſe mergunt, qui ſe purgant.* Inprimis autem huc pertinet, quod ablutio & immerſio initiationis, conſecrationis, & regenerationis ſymbolum fuit, apud eoſdem gentiles: qui enim ſacris Mithræ initiari vellent *per dies multos in aquis natando morari* debebant, auctore Nonno, in Collect. hiſt. ad orat. ϛηλιτ. 1. Nazianz. Eorumque τελετὴ nihil aliud erat, quam regeneratio, & natalium novatio, initium vitæ melioris, cujus finis eſſet perfectio. Refert etiam Tertullianus, in libro de Baptiſmo c. 5. Sacerdotes Iſidis ac Mithræ ſacris *per lavacrum* initiatos fuiſſe, additque: *Ludis Apollinaribus & Peluſiis tinguntur: idque ſe in regenerationem & impunitatem perjuriorum ſuorum agere præſumunt.* Certe conſecratio & luſtratio, quæ in ſacrificio taurobolii & criobolii, ſanguine taurorum & arietum fiebat, ab iis, qui ſacra

Matris

Matris deûm & Attidis accipiebant, tanti meriti eſſe credebatur, tantæque efficaciæ, ut per eam, ſponſione innocentiæ facta, ſe renaſci crederent: Sextilius enim Ageſilaus, in ſaxo, apud Gruter pag. 28. n. 2. TAVROBOLIO IN ÆTERNUM RENATUS dicitur. Enimvero cum gentiles audirent, aquam in baptiſmo Chriſtianorum ſymbolum eſſe ablutionis & regenerationis æternæ, per ſanguinem agni immaculati, illi, ſive in ejus æmulationem, ſive in irriſum, Antoninorum temporibus, nefariam hanc initiationem excogitarunt, cujus ſacrificium ſimul pro ſalute Imperatorum fiebat. Tertullianus de præſcript. adv. hæret c. 40. *Diaboli partes eſſe intervertendi veritatem; qui ipſas quoque res ſacramentorum divinorum, in idolorum myſteriis æmuletur: & hinc tingit & ipſe quoſdam utique credentes & fideles ſuos: expiationem delictorum de lavacro repromittit.* Eodem quippe modo, ac in Eccleſiis Africanis, baptiſmum ſuſcipientes lac & mel prægustare ſolebant, ita lacte quoque ejuſmodi conſecranei alebantur, ἔπὶ τούτοις γάλακτος τροφὴ, ὥσπερ ἀναγεννωμένων, *tandem ex lacte alimentum, quaſi renaſceremur*, inquit Salluſtius Philoſophus, Procli Platonici ſectator, in libro περὶ Θεῶν καὶ κόσμου. Bene autem Julius Firmicus de err. profan. relig. c. 28. *Neminem apud idola*

profuſus ſanguis juverit, & ne cruor pecudum miſeros homines aut decipiat, aut perdat: polluit ſanguis iſte, non redimit, & per varios caſus homines premit ad mortem. Miſeri ſunt, qui profuſione ſacrilegi ſanguinis cruentantur. Taurobolium & Criobolium ſcelerata te ſanguinis labe perfudit, laventur itaque ſordes iſtæ, quas colligis. Quare fontes ingenuos, quare puros liquores; ut illic te, poſt multas maculas, cum Spiritu ſancto Chriſti ſanguis incandidet. Ritum totum elegantiſſimis Jambis deſcripſit, oculatus teſtis, Prudentius, in paſſione Romani a vſ. 1008. ad 1055. Omnes vero inſcriptiones, de Taurobolii & Criobolii ſacrificio, congeſſit V. C. Guil. Fleetwood, & compendiariam explicationem addidit; ſed quædam ſelectiora dederunt Salmaſ. ad Lamprid. Heliogab. c. 7. Reineſ. epiſt. ad Rupert. 69. & claſſ. 1. inſcr. 40. Fabrett. c. 9. inſcript. pag. 665. van Dale de Taurobol. & de Boze in Memoir. de literature tom. 2. pag. 2. pag. 106. & 150. ubi ſacrificii figura expreſſa eſt.

Caput VII.

De adoptione ſpirituali per Baptiſmum, ad l. 26. C. de nupt. & Nov. Leonis 24.

Per Baptiſmi lavacrum infantes non Chriſto tantum adoptandi offeruntur, ſed etiam cœleſtem quandam cognationem cum ſuſceptoribus ſuis contrahunt, quæ tam late ac ſanguinis neceſſitudo ſe diffundit, immo Græcis ſuperſtitioſis longe major habebatur, ſecundum can. 53. ſyn. VI. in Trullo. Fundamentum hujus cognationis eſt adoptio, quam compaternitas imitatur: aqua enim locum matris habet, ut quodam loco Auguſtinus, in ſermone Epiphan. ſcribit, ſuſceptores autem vicem patrum gerunt: quia filium vel filiam Deo producentes, generationis naturalis exemplo, eos denuo generare, & lege ſacramenti, ad pabulum animæ illis ſubminiſtrandum, pariter ſeſe obligare videbantur, ac veros parentes naturæ lex ad alimenta & educationem adſtringit. Hinc *ἀναδόχοι*, *ἐγγυηταί*, *ſponſores*, *fidejuſſores*, *patrini*, & *compatres*, quaſi ſimul patres, paſſim appellantur. Cum enim in Eccleſiæ naſcentis cunabulis receptum eſſet, ut baptizandi mun-

do, dæmoni ac pompis ejus nuntium mitterent, & fidem in Chriſtum profiterentur; neceſſe erat, ut quod infantibus per ætatem non licebat, ab aliis præſtaretur. Et ſicut in baptiſmo proſelytorum Judaico, Triumviri præſentes patris vice, matris vero Synagoga Judaica fungebatur; ita adulti, Chriſto nomen daturi, bene inſtructi & eruditi, in ſabbatho ante feſtum Paſchæ vel Pentecoſtes, præſentibus teſtibus, in ſacrum fontem, qui & alibi *uterus*, conſcendebant, & emergentes a patre vel matre ſpirituali, ſuſcipiebantur; unde *ſuſceptorum* nomen frequens eſt apud Eccleſiæ Patres. Iſidorus lib. 11. de Eccleſ. off. cap. 21. eos *Geſtantes*, Auguſtinus vero tom. 11. epiſt. 22. *Offerentes* & *Fidei ductores* appellavit; quia ſponſorum erat infantes ulnis ſuis geſtare, majores vero manu ducere ad baptiſterium, eosque ibi offerre Epiſcopis, & Sacerdotibus, tanquam filios ſuos adoptivos. Liber Dodanæ Manualis c. 60. *Qui te ex meis brachiis ſuſcipiens, per lavacrum generationis, filium adoptavit in Chriſto.* Bonifac. Epiſt. 15. *Quidam alterius filium de ſacri baptiſmatis fonte elevans, adoptavit ſibi in filium.* Sicut autem quamdiu nudi olim mergebantur viri & feminæ, viros Diaconi, feminas autem diaconiſſæ, in veſtibus exuendis, juvabant, *ſuoque ſexui in Baptiſmo miniſtra-*

ſtrahant, ut ait D. Hieronymus, ita ejuſdem honeſtatis cauſa cautum fuit, ut mares a maribus & feminæ a feminis tantum ſuſciperentur. Synod. Nicæn. can. 22. *Viri non teneant in baptiſmo puellas, aut mulieres; nec mulieres teneant maſculos, ſed potius mulieres teneant puellas, & viri teneant maſculos.* Et ſicut adoptio imitatur naturam, ita vetus Leonis, Pontificis doctiſſimi decretum, unum tantum ſuſceptorem admittebat, virum aut mulierem, non plures cujuſque ſexus *c.* 3. *de cognat. ſpir. in* 6. *can. non plures* 15. *de conſecrat. diſt.* 4. cumque uſus invaleſceret trium ſuſceptorum, ad ſanctiſſimæ Triados myſterium indicandum, iterum Concilio Metenſi can. 12. cautum eſt: *Unus, qui a fonte ſuſcipit, debet eſſe pater, vel mater infantis.* Mutabant item baptizati adulti prænomen, prorſus ac adoptati, & ſuſceptoris nomen adſciſcebant. Gregor. Turonenſ. lib. 1. Hiſt. cap. 36. *Prodente Juda Hebræo, qui poſt baptiſmum Quiriacus eſt vocatus.* Stola etiam induebantur candida, in puritatis & vitæ innovatæ ſignum; quia antea tenebræ erant, nunc autem lux in Domino. Valentinianus ea *lavacri cæleſtis lumen imitantia veſtimenta novam lucem teſtari*, ait, in *l. ult. C. Th. de ſpectac.* hinc φωτίζειν & illuminare & baptizare notat; φωτιστικὴ ἐσθὴς eſt veſtis alba, quam induebant baptizati.

ti. Præterea in ſignum adoptionis ſuſceptores filiolis ſuis, poſt baptiſmum, munera conferebant; quaſi hoc pacto teſtarentur, partem aliquam bonorum ſuorum iis deberi; vulgo donum illud *filiolatus*, *filiolagium*, vel *filiaticum* appellatur, apud du Frène in Gloſſar. Denique qui de ſacro fonte aliquem elevabat, *pater*, vel *compater*, levatus autem *filius ſpiritualis*, *filius de baptiſmo*, vel *filiolus de fonte* dicebatur, uti Petrus Lambecius ad Gualdonem, de vita Anſcharii c. 12. notavit, & ex iis, qui de ritibus baptiſmi ſcripſerunt, puta Joſepho Vicecomite, Edmundo Martêne, Dallæo aliiſque pluribus poteſt illuſtrari. Dudo de Actis Normann. lib. III. pag. 101.

Quin & adoptivam prolem ſuſcepit ab alma,
Extollenſque ſalutiferi baptiſmatis unda.

Fortunat. l. v. poëm. 4.

Germine qui non eſt, ſit tibi fonte parens.

Hoc ergo modo filii & filiæ adoptivæ per baptiſmum fieri dicuntur, non modo apud Baſilicorum Auctores & Harmenopulum, quos Merillius laudavit lib. III. Obſ. c 40. ſed illuſtris præcipue locus eſt Procopii in Hiſt. arc. c. 1. quem & Suidas in Ἐυνομιανός, licet corrupte, exſcripſit. Narrat ibi Beliſarium, una cum conjuge Antonina, Theodoſium, more tunc temporis frequente, per baptiſ-

baptiſmum adoptaſſe: *Adoleſcens, nomine Theodoſius, apud Beliſarium domi verſabatur, quem ipſe, jamjam in Africam tranſmiſſurus, divino lavacro luſtratum ſuis exceperat manibus, & una cum uxore filium adoptaverat, quo more Chriſtiani conſueverant liberos adſciſcere.* Per eaſdem baptiſmi ceremonias Ludovicus Pius Imperator Heraldum, Danorum Regem, *ſacro baptiſmate perfuſum, ipſe de ſacro fonte ſuſcepit, ſibique in filium adoptavit,* auctore Remberto, in vita S. Anſcharii cap. 6. Similiter Aſſerus de Ælfredi rebus geſtis A. 878. *Ælfred Rex in filium adoptionis ſibi ſuſcipiens Codrum, Regem paganorum, de fonte ſacro baptiſmatis elevavit.* Henricus Huntindon. lib. 2. Hiſt. pag. 318. *Rex Adelwold converſus ad fidem, cui de lavacro ſuſcepto, dedit in ſignum adoptionis inſulam With.* Ex hac ergo ſpirituali adoptione inter patrinum & ſuſceptum, ejusque parentes, oritur cognatio ſpiritualis, cujus tres ſunt lineæ, quæ barbare paternitas, compaternitas & fraternitas vocantur. Earum prima contrahitur inter patrinum & baptizatum; altera inter patrinum & baptizati parentes; tertia inter baptizatum & patrini liberos naturales. Et quia omnes, inſtar cognationis naturalis, ex commixtione ſanguinis provenientis, vel potius ad exemplum cognationis legalis, quæ fit per adoptionem,

 cano-

canonibus introductæ ſunt, igitur impediunt ac dirimunt matrimonium inter ſuſceptorem & ſuſceptum, hujusque parentes & fratres. Synodus Nicæna cap. 21. *Nemo fidelium cum patre aut matre ſpirituali matrimonium contrahat, id eſt, cum patrinis; & qui hoc commiſerit, habeatur tanquam ethnicus.* In libris noſtris nullum ejus rei antiquius veſtigium reperitur, quam in *l.* 26. *C. de nupt.* ubi Juſtinianus alumnam quidem, licet filiæ loco eſſet, duci permittit, eam vero perſonam omnimodo ad nuptias venire prohibet, *quam aliquis, ſive alumna ſit, ſive non, ex ſacroſancto ſuſcepit baptiſmate: cum nihil aliud ſic inducere poteſt paternam affectionem, & juſtam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ ſunt.* Poſteriores deinde Græci, ad ſuperſtitionem uſque religioſi, & fanatici, majorem hujus cognationis rationem habuere, eam extendendo ad matrem & filiam ſuſceptæ, nec non ad filium ſuſceptoris, & ad ſeptimum deinceps gradum; ſicut ex Eclogis Baſilic. lib. 28. tit. 5. c. 17. & Harmenopulo diſcimus lib. IV. epit. tit. 6. §. 18. Verum Latini minime eam cognationi carnis comparandam eſſe cenſuerunt, uti præter Paſchalem II. in *can. poſt uxorem* 30. *qu.* 4. Bonifacius epiſt. XI. oſtendit, & Nicolaus Pontifex, in reſpon-
ſione

ſione ad conſult. Bulgarorum, qui, cum Concilio Nicæno & Juſtiniano, intra ſuſceptoris & ſuſceptæ perſonas ſubſiſtit: *Eſt inter patres & filios ſpiritualis, gratuita, & ſancta communio, qua non eſt dicenda conſanguinitas, ſed potius habenda ſpiritualis proximitas: unde inter eos non arbitramur fieri poſſe quodlibet conjugale connubium; quandoquidem nec inter eos, qui natura, & eos, qui adoptione filii ſunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt.* Synodus item Tridentina ſeſſ. 24. de reformat. matrim. cap. 2. cum videret noxiam Eccleſiæ & nimis diffuſam eſſe hanc cognationem, ſuſtulit fraternitatis impedimentum, ipſamque compaternitatem quodammodo coarctavit, qua de re videatur Cujacius & Gonzalez Tellez ad lib. IV. decret. tit. XI. Optime vero apud Proteſtantes tota hæc fictio, ad Papæ culinam excuſa, ſublata eſt, ſicut Duaren. lib. 1. de nupt. c. 3. Alb. Gentilis lib. v. de nupt. c. fin. cum Molinæo & Hotmano, omnem illam cognationem ſpiritualem, ut imaginariam & frivolam, jam olim repudiarunt; quia adoptio deſiderat conſenſum utriusque partis, qui nullus hic intervenit; omnes quoque Chriſtiani ſunt fratres & cognati ſpirituales; nec anima ſuſcepti copulatur ſuſceptori, uti craſſius Juſtinianus philoſophatur, ſed Chriſto; neque paterna ſuſcepto-

ceptoris affectio eſt tanta, ut nuptiis impedimento eſſe poſſit, quemadmodum Henricus Brouwerus lib. II. de jure connub. c. 8. contra Thomam & Bachovium recte diſputavit. Interim ex his diſcimus, in quantum ubivis terrarum mentes ſymbolo generationis in baptiſmo occupatæ fuerint, adeo ut Pachym. ad Dionyſ. Areopag. lib. 2. de Eccl. hierarch. c. 2. baptiſmi lavacrum *τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας*, *matrem adoptionis* appellarit, & D. Chryſoſtomus lib. III. de ſacerd. aliquot *partus in baptiſmo*, *& ſpirituales propagines* agnoverit; Clemens etiam Alexandrinus lib IV. Stromat. pag. 531. ex Homeri aliquot verſibus collegerit, imaginem baptiſmatis à Moſe Poëtis eſſe traditam; id quod Huetius de concord. rat. & fidei lib. II. c. 20. ex Callimachi hymnis in Jovem & in Delum, egregie firmavit. Plane apud Conſtantinopolitanos non modo adoptio *divina* in familiam Dei, & *ſpiritualis*, in nomen ſuſceptoris, ſed ipſa etiam *civilis* adoptio per baptiſmum peracta eſſe videtur, ſi forte nondum baptizatus in filii locum adſciſceretur: id enim præter Procopii *ἀνέκδοτα*, ſupra laudata, indicare videtur Nicephorus, in notis ibidem ab Alemanno laudatus: Σκήπτεται δὲ Ἡράκλειος τῷ θείῳ λουτρῷ τὸν υἱὸν καταγνίζειν υἱοθετεῖσθαι δὲ αὐτὸν ὑπὸ Κρίσπου: *Heraclius*, *cum filium ſuum divino lavacro ablue-*

abluere, & Criſpo adoptandum dare velle, ſe ſimulaſſet. Balſamo quoque ad can. 53. Syn. VI. in Trullo, διὰ τελετῆς ἱερᾶς, adoptiones fieri ſolere memorat, id eſt per baptiſmum: quia τελετὴ & τελείωσις, præter communem ſignificationem, apud Gregorium Nazianz. V. ad Epheſ. pro baptiſmo ſumitur; atque ita Clemens Alexandrinus lib. I. Pædag. c. 6. aliique apud Valeſium ad lib. IV. de vita Conſtantini c. 62. & ad Theodorit. lib. IV. c. 3. Ejuſdem υἱοθεσίας per baptiſmum meminerunt Continuator Theophanis lib. I. n. 12. l. 2. n. 7. Photius epiſt. 97. Symeon Logotheta in Leone Armenio n. 7. & Heſychius inprimis: Υἱοθεσία, ὅταν τὶς θετὸν υἱὸν λαμβάνῃ, καὶ τὸ ἅγιον βάπτισμα, ubi Salmaſius reponit κατὰ. Leo denique in Conſtit. Novella 24. majores culpat, qui liberorum adoptiones ἄνευ τελετῆς, *ſine ceremoniis, & ſacræ regenerationis ritu* faciebant, ſui vero temporis mores laudat, quibus ritu decoro & per *ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium* adoptiones celebrabantur; ideoque vetat, ne filii ita adoptati cum ſororibus naturaliter genitis matrimonio jungantur, ut tuta ſit puellarum pudicitia, omniſque ſuſpicio furtivi amoris in domo paterna eliminetur. Alium υἱοθεσίας ritum, ante Bematis cancellos, vel in ipſo Bemate, poſt dictam a Sacerdote orationem, apud Græ-

Græcos obſervatum, ita ut adoptandus deſignatum ſibi patrem ter circumiret, pedesque illius oſcularetur, deſcribit Euchologium *pag.* 706. *&* 708.

Caput VIII.

De adoptione ſpirituali per Catechiſmum, Confirmationem, Mitram, Mantum & Pœnitentiam.

Cognatio ſpiritualis non modo per Baptiſmum inducitur, qui pauciſſimis verbis, & immerſione, vel adſperſione conſtat; ſed etiam per ſolennitatem Catechiſmi, quæ tinctionem præcedit, & ritum Confirmationis, qui ſequitur, alioſque modos, in quibus patrinus & fidejuſſor intervenire debet, de quibus hoc capite ad *can. Si quis ex uno* 30. *qv.* 4. & *can in catechiſmo de conſecr. diſt.* 4. dicemus. Catechiſmus eſt profeſſio inſtantis Baptiſmi. Cum enim initio naſcentis Chriſtianiſmi, raro infantes, plerumque adulti baptizarentur, neceſſe erat, ut prius in doctrina fidei inſtruerentur, qui ex gentilibus veniebant, habentes voluntatem credendi in Chriſtum; atque hi *Catechumeni*,

a *κατηχεῖν*, inſonare auribus, & elementa prima docere; vocabantur. Horum, pro majore vel minore profectu, varii erant gradus & claſſes: *Audientium* nempe, *Genuflectentium*, & *Competentium* Poſteriores, appropinquante ſolennitate paſchali, nomen ſuum inter alios baptiſmi candidatos profeſſi, & *competentes*, quaſi ſimul petentes, dicti, ſeptem ſcrutiniis, ſeu interrogationes ſubibant; deinde admiſſi, præſente ſponſore ſuo, qui patris inſtar adoptivi, manum capiti admovebat, eoſque tenebat & exhibebat, ſacrati ſalis pabulum, tanquam typum & ſymbolum ſapientiæ, ore accipiebant; *ut ſalium guſtu condimentum ſapientiæ acciperent*, ait Iſidorus lib. II: de off. c. 20. juncto. *c.* 5. *X. de cogn. ſpir. & cath. Ex hinc cum ſeqq. de conſecrat diſt.* 4. Sal enim uti cæterorum obſoniorum obſonium quoddam eſt & condimentum, ita ſermo ſale conditus eſt ſapientis; Col. IV. vſ. 6. & contra inſulſus, vel cui ne mica ſalis ineſt, ridiculus dicitur, ſine lepore & venuſtate. Eph. IV. vſ. 29. Sal quoque habet vim cuſtodiendi adverſus putredinem & corruptionem; unde ſal fœdus notat 2 Paralip. XIII. vſ. 5. & ſal fœderis, vel fœdus ſalis pro perpetuo ſumitur. Levit. II. vſ. 13. Num. XVIII. vſ. 19. Chriſtus præterea diſcipulos ſuos *mundi lucem*, & *terræ ſalem* appellat Matth.

cap.

cap. v. vſ. 13. 14. & gratia divina, menti humanæ indita, aptiſſime ſalis nomine inſignitur Marci. ix. vſ. 50. 2 Petr. 1. vſ. 4. nam Varro & Philo per ſalem animam intelligunt, corporis conſervatricem : Sal denique Deo gratiſſimum eſt, & in cultu Moſaico nihil ſacri ſine ſale peragebatur Levit. 11. vſ. 13. ubi Grotius Plinium laudat, lib. xxxi. c. 7. *Maxime in ſacris intelligitur ſalis auctoritas, quando nulla conficiuntur ſine mola ſalſa.* Alios dabit Gataker. adverſ. miſc. poſtum. c. 43. Quamvis igitur ſalis adhibendi ceremonia cum ipſo baptiſmo non ſit enata, majorem tamen colorem habet, quam reliqua baptiſmum præcedentia, uti exorciſmus, clerici ſufflatio & ſaliva, tingendi naribus & auribus illita, item unctio frontis, pectoris & ſcapularum, quæ ceremoniæ omnes ad catechiſmum pertinebant. Has vero cum infantes baptizandi non intelligerent, nec interrogati reſpondere poſſent, σύντεκνοι & fidejuſſores, nomen eorum ad album profitentes, quaſi fidei ductores, ſe informationem in capitibus ſymboli curaturos ſpondebant, indeque ſecundi patres fiebant, filiali amore proſequendi. Similem in modum Rabbini apud Hebræos *patres* dicti: Paulus diſcipulos ſuos *filiolos* vocat, quos iterum parturiret Gal. iv. vſ. 19. Quintilianus lib. 11. c. 10. præceptores *parentes*

rentes mentium eſſe ait; & in univerſum Romani *praeceptorem ſancti voluere parentis eſſe loco*, ut cecinit Juvenalis ſat. VII. vſ. 109. Pariter ergo ac in ſponſione futurarum nuptiarum ſpecies quædam cognationis, publicæ honeſtatis cauſa, contrahitur, ita ex catechiſmi ſolennitate inter ſponſorem efferentem, & catechumenum oblatum cognatio quædam ſpiritualis & adoptio exſurgit, quæ impedit matrimonium contrahendum, non autem dirimit contractum, *c. 2. de cogn. ſpir. in 6.* Hæc vero ſpecies propinquitatis, ſicut ipſo jure Canonico infirmior eſt illa, quæ per baptiſmum contrahitur, ita per Concilium Tridentinum merito ſublata eſt, & iidem hodie ſunt fidei, qui & baptiſmi ſponſores, Seſſ. 24. de reform. c. 2. vid. Vicecomes lib. 1. de ritib. baptiſm. c. 25. & Gonzalez Tellez ad can. 16. Concil Illiber. Majoris momenti eſt altera cognationis Spiritualis ſpecies, quæ ex *Confirmatione* poſt baptiſmum exoritur, eumque quaſi complet & perficit; unde baptiſmi τελείωσις a Dionyſio Areopagita, *conſummatio* a Cypriano, & *perfectio* ab Ambroſio appellatur. Fiebat illa non manus tantuml impoſitione, & lactis melliſque guſtatione ac ſignaculo crucis, ſed ſacri inprimis chriſmatis unctione: ſive more athletarum, ad confirmandos Chriſtianos in pugna contra Diabolum:

bolum: ſive quod, ſecundum D. Petri effatum, regale genus ſumus, per unctionem ſpiritualem. Inter alias enim Regum inaugurandorum ſolennitates antiquiſſima eſt unctio, uti ex vetere apologo conſtat, Judic. IX. vſ. 8. Scimus etiam datam Iſraelitis eſſe legem, ut Regem, Pontificem, Sacerdotes, utrumque altare & vaſa ſacra unguento ſolenni conſecrarent, & ab uſu communi ſepararent. Exod. xxx. vſ. 22. Levit. VIII vſ. 10. Num VII. vſ. 1. In victimis quoque, ſacrificiis, aliiſque rebus Deo conſecrandis, apud Ægyptios, Perſas, Græcos & Romanos uſum olei plurimum fuiſſe, alibi oſtendi, in diſſert. de unct. Rem. cap. 1. §. 2. In baptiſmo autem ritus unctionis a Synodo Laodicena demum fuit inſtitutus, uti ex Codice Can. Eccles. univ. cap. 152. patet. Certe Juſtini Martyris tempore, pauca illius chotagii cognita fuere; ſed Tertulliano florente, Eccleſia talibus ceremoniis gaudere coepit, a Judæis vel gentilibus maximam partem derivatis. Prorſus ergo ac ſponſores catechiſmi catechumeni caput tenebant, dum is ſalem ſapientiæ ore accipiebat: & ſicut patrini baptiſmi infantes baptizandos in dextris brachiis geſtabant, vel adulti pedem ſuper patrini pedem ponebant, dum adſperſio fiebat; ita baptizati quoque eodem die, ab iiſdem, ali-
quan-

quando etiam a diverſis fidejuſſoribus, ad confirmationem manu tenebantur, dum Sacerdos, ſolenni oratione recitata, unctionem peragebat, & circumacto alapam impingebat; ut memor eſſet, ſe ex diaboli ſervitute manumiſſum, & novum hominem eſſe factum, ritu a manumiſſionibus tranſlato ad baptiſmum, uti Merillius obſervavit lib. III. cap. 3. &, ſuppreſſo illius nomine, repetiit Lacerda in adverſ. cap. 171. n. 12. Sic ergo ſpiritualis illa cognatio & adoptio ex generatione ſpirituali confecta eſt, *can. Qui ſpiritualem* 40. *qv.* 4. *c.* 1 *& fin. de ſpirit. cogn. in* 6. Florentius Wigorniens. A. 943. *Idem rex Analafum regem de lavacro ſanctæ regenerationis ſuſcepit, regioque munere donavit; & parvo poſt tempore Reginoldum Northambimbrorum regem, dum ab Epiſcopo confirmaretur, tenuit, ſibique in filium adoptavit.* Eſt & alia quædam paternitas, a ſuperiore diverſa, quæ fit per *Mitræ impoſitionem.* Optatus Afer Milevitanus lib. II. de Schiſm. Donatiſt. *Memoratus Felix, inter crimina & facinora ſua nefanda, ab eo comprehenſa puella, cui mitram ipſe impoſuerat, a qua pater paullo ante vocabatur, nefarie inceſtare minime dubitavit.* Quamvis enim chriſmale caputium, ſeu pannus candidus, quo capita baptizatorum involvebantur, ne chriſma deflueret, *mitra baptizato-*

rum dicatur Honorio Auguſtodunenſi lib. III. cap. 113, rectius tamen Emundus Merillius lib. III. Obſ. c. 40. mitram hic exponit tegumentum capitis, quo aſcetriæ in Africa utebantur, eumque rurſus ſecutus eſt la Cerda advers. c. 173. §. 9. Neque in Africa ſolum, ſed alibi quoque virgines de manu Epiſcopi, Abbatis vel presbyteri velum accepiſſe conſtat; uti nobilis mulier *de manu presbyteri velamen adſumſit* in *cap.* 4. X. *Qui Cleric.* Inter alia enim, quæ uſus Eccleſiæ à nuptiis carnalibus ad ſpirituale conjugium tranſtulit, etiam hoc eſt, ut quemadmodum novis nuptis flammeum imponebatur, ita feminis tempore profeſſionis, ſeu conſecrationis, in ſignum matrimonii celebrati cum Chriſto, velum imponeretur, quod multiplex fuit, pro perſonarum & actuum varietate, uti Barboſa de jure eccles. lib. I. c. 44. Filcſacus. lib. I. Select. c. 10. & Jac Gothofred. ad l. 12. C. Th. de ſcen. oſtenderunt. Atque ita Felix per mitræ impoſitionem pater puellæ effectus eſt, quod aſcetriis tonſis, uti capite ſequente dicemus, a patre ſpirituali & adoptivo mitra imponeretur. Iſidorus lib. XIX. Orig. c. 31. *Mitra eſt pileum Phrygium, caput protegens, quale eſt ornamentum capitis devotarum.* Idem quoque Optatus alibi lib. VI. plus ſemel, tegumentum illud Deo di-

catarum *mitrellas* appellavit. Eſt etiam adoptio ſpiritualis per *mantum*, ſi quis filius Eccleſiæ adſumitur: Ceremoniale Cencii Camerarii de inaug. Cæſ. *Tunc ſurgens Dominus Papa ter quærit ab eo, ſi vult eſſe filius Eccleſiæ: quo ter reſpondente, Volo. Dominus Papa dicit: Et ego te recipio ut filium Eccleſiæ, & mittit eum ſub manto, & ille oſculatur pectus Domini Papæ.* Mantum illud fuit inter præcipuas ſummorum Pontificum veſtes; unde *immantare* eſt rubea cappa Pontificem inveſtire. v. du Frene, in *mantum*. Addam adhuc aliam adoptionis ſpiritualis ſpeciem ex *Pœnitentia & Confeſſione*: Sacerdos enim, cui quis peccata ſua confeſſus eſt, *pater* ejus *ſpiritualis*, ſeu πνευματικὸς, ut Pachymeres vocat lib. 11. c. 27. & ipſe *filius poenitentialis* in Conciliis vulgo appellatur. Atque ideo Symmachus Papa, in *can. omnes* 30. *qu.* 1. ſcribit: *Omnes, quos in pœnitentia ſuſcipimus, ita noſtros eſſe ſpirituales filios, ſicuti eos, quos nobis ſuſcipientibus, vel baptizantibus, unda ſacri baptiſmatis regeneravit.* Verum quia poenitentia donum ſpirituale non confert per ſymbolum generationis, ideo canones hanc cognationem pro vera & propria non habuerunt: ſed inter adoptiones ſpirituales eminuit inprimis illa, de qua diximus, per baptiſmum, ad quam etiam pertinet inſcriptio Græca, apud Hum-

 phri-

phridum Prideaux Marm. Oxon. pag. 276. in qua Johannes, Senatus ſcriba, hortulum dediſſe legitur Theodoro, ſuo ΓΝΗΣΙΩ ΕΚΓΟΝΩ, ΚΑΙ ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΩ ΥΙΩ, *legitimo nepoti*, *& ſpirituali filio.*

Caput IX.

De adoptione per Capillos.

Pergimus nunc ad alias adoptionis quaſi ſpiritualis & honorariæ ſpecies, apud Francos maxime, & Langobardos uſitatas; de quibus jam ante nos egerunt Viri Celeberrimi Pithœus lib. 1. adverſ. c. 1. Cironius ad Decret. tit. de cognat. legali, Colerus Parerg. c. 7. &, qui omnes diligentia ſuperavit, Carolus du Frêne, in eruditiſſima diſſertatione ad Joinvillam XXII. poſt quem quidem Homerum fruſtra Iliada canere videmur; ſed poſtquam ſemel hunc campum ingreſſus ſum, ne aſymbolus habear, tentandum erit, an aliquid etiam lucis de meo adferre queam. Ceremonia adoptandi per primam capillorum abſciſſionem uſus eſt Carolus Martellus, quum filium ſuum Pipinum miſit, ad Luitprandum, Langobardorum regem, ut tonſuræ honorem ab eo acciperet, ejusque filius ſpiritua-

ritualis fieret, auctore Paulo Warnefrido de geſtis Langob. lib. VI. cap. 53. *Circa hæc tempora Karolus, princeps Francorum, Pipinum ſuum filium ad Luitprandum direxit, ut ejus juxta morem capillum ſuſciperet. Qui ejus caſariem incidens, ei pater effectus eſt, multiſque eum ditatum regiis muneribus, genitori remiſit.* Idem ſcribit Otto Friſing lib. I. c. 16. *Karolus, Francorum Princeps filium ſuum ad Luitprandum miſit, ut more fidelium Chriſtianorum, ejus capillum primus adtonderet, & pater illi ſpiritualis exiſteret.* Cum ipſi juvenes venire non poſſent, capilli mittebantur; quemadmodum Anaſtaſius, Bibliothecarius, de vitis Pontificum, in Benedicto II. ſcribit, eum *mallones*, id eſt cirros, præſegmina & faſciculos *capillorum* ſuſcepiſſe. Verba ejus: *Hic una cum clero & exercitu ſuſcepit mallones capillorum Domini Juſtiniani & Heraclei, filiorum, clementiſſimi Principis, per quam ſignificabat eoſdem capillos direxiſſe.* Abſciſſio hæc fiebat, quum juvenes, annis adoleſcentiæ exactis, veniſſent prope ad pubertatem; nam qui infra annum duodecimum, plerumque *non tonſorati*, & *criniti* erant, atque ita appellantur, in pacto legis Salic. tit. 28. Chronicon Novalicienſe *parvulum* vocat ita adoptatum, A. DCCXIII. *Ad Luitprandum regem Pippinus ſuum parvulum filium, nomine Karo-*

lum direxit, ut ei, juxta morem, ex capillis tonderet, & fieret ei pater ſpiritualis, quod & fecit. Scribit quidem Agathias lib. I *ſolenne eſſe Fracorum Regibus, nunquam tonderi*: ſed totius comæ & promiſcuam capillorum abſciſſionem intelligit, qua reges etiam Francorum in abnegationem filii utebantur: ſicut Chlotarius apud Gregor. Turonens. lib. VI. c. 24. *juſſit tonderi comam capitis Gundobaldi, dicens, Hunc non generavi.* Minime vero negat, feſtivitatem capillatoriæ a regum filiis pariter, ac nobilibus ingenuæ conditionis, celebratam eſſe, nam illi poſtea prolixam cæſariem alebant. Sic Clodovæus *comatus & pulcher* appellatur, in præfat. leg. Salic, idemque de ceteris Merovingicæ ſtirpis Regibus, tum ex eorum ſigillis, a Mabillone productis, tum ex Sidonio, Gregorio Turonenſe aliisque conſtat, quos de regii capillitii honore Hotmanus Franco Galliæ c. XI. & Bignonius ad LL. Salic. tit. 25. collegerunt. Neque vero exiſtimandum eſt, quod Regum tantum & Principum id moris fuerit adoptandi, uti Cedrenus de Heraclio ſcribit: *comam totondit, ac mentum raſit, qui eſt Imperatorum habitus:* nolim etiam putes, quod ſolum capillitii ſtudium huic ritui anſam dederit, qui ab Ebræis & paganis deſumtus eſt. Ut enim mittam votum Nazaræatus Iſraelitarum Num. VI. vſ. 18. de Æ-

gyptiis

gyptiis Diodorus Siculus, & de Indis Arrianus teſtatur, eos cæſariem ſuam Diis vel fluminibus voviſſe, uti Achilles Sperchio, Æſculapio Earinus. Athenis, cum liberi in publicum album referebantur, ἀπαλὥρια ſacra fiebant, parsque comæ, auctore Euſtathio, Apollini, juvenum altori, dicanda tondebatur. Theſeum Delphos hacpropter profectum eſſe, ut primitias comarum Apollini dedicaret, refert Plutarchus. Mulieres quoque Græcæ, ſi ætatem maturam adeptæ, partem capilli Dianæ ſacrabant, in teſtimonium grati animi, ob curam educationis, ut Pollux memoriæ tradidit. Apud Romanos Martialis Æſculapium alloquitur lib. IX. epigr. 18.

Hos tibi laudatos dominorum voce capillos,
Ille tuus Latia miſit ab urbe puer:
Tu juvenile decus ſerva, ne pulchrior ille
In longa fuerit, quam breviore coma.

& epigr. præcedente, de coma Earini:

Conſilium formæ ſpeculum, dulcesque capillos
Pergameo poſuit dona ſacrata deo.

Patet ergo, quod ritum illum Chriſtiani a paganis adoptarunt, &, precibus quibuſdam adhibitis, in Eccleſia peragi voluerunt, ut a ſcoriis gentilium purgatus videretur. Hinc *benedictio capillorum*, in Nomocan. apud Cotelerium tom. 1. Mon. Eccl. Græc. cap. 533. *Oratio ad capillaturam incidendam, & ad pue-*

rum tonſurandum, eſt in Sacramentario S. Georgii pag. 250. & formula *de primitiis capillorum*, in Euchologio Græc. pag 375. Feſtum quoque κυρόσυνον, propter comæ tonſæ primitias, celebratum legimus, apud Suidam. In pacto etiam L. Salicæ tit. 68. fit mentio donationum *ad capillatorias* a patre factarum; & ſicut ad alios quosque actus patrini vocabantur, ita ad hunc quoque eligebantur conſpicui dignitate & ſapientia viri, velut patres ſpirituales & adoptivi, qui capillos detonſos cera involutos, tanquam rem Deo conſecratam, ſervabant, uti ex Matthæo Blaſtare, Niceta aliisque oſtendit du Frêne dicto loco pag. 273. Hinc etiam fluxit, ut monachis comam poſituris, primi capillorum cinni a viris primariis, aut amicis religioſis delibarentur, qui adhibitis imaginibus, quaſi in ſinus earum capillos decidere ſinebant: *Rex primus, poſt B. Maurum, de coma capitis ejus totondit, deinde quicunque ex Optimatibus ejus voluit*, ait Fauſtus, in vita S. Mauri n 51. Virgines autem Deo devotæ, in Ægypti & Syriæ monaſteriis, *crinem monaſteriorum matribus offerunt deſecandum*, ait Hieronymus ad Sabinianum ep. 48. c. 3. ſicut Veſtales inciſos capillos ad arborem Lothos ſuſpendebant, ut ſe omnium rerum ſecularium curam depoſuiſſe teſtarentur, Plin. lib. XVI. cap. 14. Non

hic

hic præteribo alium ſymbolicum modum tradendi liberos ad ſervitium divinum per comæ depoſitionem, quando parentes infantes ſuos, Samuelis, Samſonis, Joannis Baptiſtæ, Baſilii & Gregorii Nazianzeni exemplo, velut in adoptionem ſpiritualem, monaſterio cuidam attondendos, multis teſtibus præſentibus, dabant, ita ut ad pubertatem uſque obligarentur, ne ad vitam ſecularem reverti poſſent. Ritum hujus traditionis ſpiritualis deſcribit Regula Benedicti cap. 59. *Cum oblatione ipſam petitionem & manum pueri involvant in palla, id eſt pallio, ſeu ſindone altaris, & ſic eum offerant.* Alii ſui juris homines, per comæ depoſitionem, ſe, cum bonis univerſis, Abbati quaſi arrogandos præbebant. Leo in Chronico Caſinenſi lib. 1. c. 49. *Hermefrid, civis Eſculanus, vir dives, ſubdiaconus, ſe ipſum obtulit per capillos capitis ſui præpoſito Walmefrid, cum omni omnino ſubſtantia ſua, quam in illis partibus poſſidebat.* Utrumque modum illuſtrabit formula Bignoniana 29. & Baluzianæ t. 2. Cap. pag. 574. 1298. & 1552.

Caput X.

De adoptione per Barbam.

Quemadmodum pubertati proximi per primam capillorum abſciſſionem, ita provectioris ætatis juvenes per primos pilos barbæ raſos, honoris cauſa, adoptabantur. Auctorem locupletem habeo Aimoinum binis locis: primus eſt lib. I. de geſtis Franc. c. 20. *Miſerat Clodoveus legatum ſuum, nomine Paternum, ad Alaricum, regem Gothorum, ut quæ pacis eſſent cum eo tractaret: ſimul etiam, ut voluntatem ejus agnoſceret, quo in loco ambos reges, ſibi pro utriusque regni utilitatibus collocuturos, oporteret occurrere, & Alaricus (juxta morem antiquorum) barbam Clodovei tangens, adoptivus ei fieret pater.* Alter eſt lib. IV. c. 32. ubi *tangere* barbam ejus ſummitatem præſcindere interpretatur; niſi alibi tactu, alibi vero inciſione barbæ, affinitatem contractam eſſe putes. Verba Aimoini: *Gregorius, Romanorum patricius, promittens Taſoni, quod barbam ejus præſcindens (juxta morem antiquorum) eum ſibi adoptaret in filium, cum fratre ac paucis fidelium ad ſe venire ſuaſit. . . . Gregorius itaque, qui ſpoponderat, ſe barbam Taſoni abſciſſurum, non ſolum barbam, verum*

verum & amputavit ejus caput, veruntamen, ne perjurus diceretur, barbæ quoque ſummitatem inaniter præcidit. Priorem hiſtoriam, iisdem pæne verbis, refert Auctor in Collect. hiſt. apud Caniſium tom. 2. antiq. lect. lib. III. c. 10. *Cum pacem inire cœpiſſent hujus convenientiæ, ut Alaricus barbam tangeret, Clodovæi effectus patrinus.* Eandem quoque repetiit Fredegarius in fragm. p. m. 709. *ut Alaricus barbam tangeret Chlodovei, effectus illi patrinus.* Poſteriorem vero narrat Paulus Warnefridus lib. IV. de geſtis Langob. c. 40. & ſimiliter ritum iſtum ad morem antiquorum refert: *Promittens Taſoni, ut ei barbam, ſicut moris eſt, incideret, eumque ſibi filium faceret &c.* Neque enim illa adoptandi ceremonia erat recens, aut Gothorum vel Francorum propria; nam apud Græcos quoque veteres amicus amico ephebo radebat barbam, eamque deorum cuipiam, & maxime Apollini conſecrabat, uti ex Callimach. hymno εἰς Δῆλον vſ. 298. & ex Antholog. Græc. lib. VI. c. 22. ſub titulo ἀπὸ νέων, conſtat, & eruditi interpretes pluribus ibi illuſtrarunt. Romæ ſimiliter juvenes cum feſto, pompa & convivio gaudii pleno barbam ponebant, Deoque conſecrabant; quia tunc tranſibant in viros, & poſita prætexta, ſumptaque virili toga, tanquam forenſibus jam apti negotiis, in forum dedu-

deducebantur. Fiebat id nonnunquam ſeptimo decimo ætatis anno exacto, ſi, ut Ovidius cecinit, *ter ſenos proles adoleverat annos, & ſuberat flava jam nova barba comæ.* Plerumque vero tardius, ſub annum vigeſimum vel vigeſimum primum; quia Macrobius *ter ſeptenarium numerum* requirit ad radendam barbam primam. Sueton. Calig. cap. 10. *viceſimo ætatis anno accitus Capreas a Tiberio, uno atque eodem die, togam ſumſit, barbamque poſuit.* Sueton. Neron. cap. 12. *Gymnico barbam primam poſuit, conditamque in auream pyxidem, & pretioſiſſimis margaritis adornatam, Jovi Capitolino conſecravit.* Petron. cap. 29. de Trimalchione: *Pyxis aurea, non puſilla, in qua barbam ipſius conditam eſſe dicebant.* Juvenal. ſat. III. vſ. 116.

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati,
Plena domus libis genialibus.

Illius lætitiæ perficiendæ gratia munera ab amicis miſſitari, & dona ab eo, qui tondebat, dari ſolebant, velut a patrino. Ammianus Marcellinus lib. XVII. cap. 9. *Cum Cæſar petenti, ex uſu, gregario cuidam, ut barbas detonderet, dediſſet aliquid vile, contumelioſis calumniis appetitus eſt a Gaudentio, tunc Notario.* Plura de hoc veterum ritu habet Petrus Faber lib. 1. ſem. c. 20. Hotmanus de

de barba c. 8. Lips. ad lib. xiv. Annal. Tacit. Exc. B. & Mabillon in præf. 1. ſec. 3. Actor. Ord. Bened. Ego illud præcipue obſervabo, quod Græci deinde & Latini ceremonias gentiles in Chriſtianas converterunt, & raſuram barbæ primam precibus dedicarunt; quam in rem orationes *ad barbas tondendas* extant in Euchologio Græco, & in Libro Sacramentorum Georgii Papæ, his verbis conceptæ: *Deus, cujus ſpiritu creatura omnis incrementis adulta congaudet, exaudi preces noſtras ſuper hunc famulum tuum Ill. juvenilis ætatis decore lætantem, & primis auſpiciis attondendum: ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, coeleſtem benedictionem accipiat, & præſentis vitæ ſubſidiis gaudeat & æternæ.* Idem quoque mos Francorum, ut eligeretur dignitate conſpicuus, qui pater ſpiritualis hoc pacto fieret, adoptivus & patrinus. Francos vero barbam raſitaſſe, docet Guibertus lib. v. de Geſt. Dei per Francos. c. 6 *Noſtris autem, in aſſiduo poſitis precinctu, fatiſcentem genarum maciem horribilis primum ſitus ambierat, & Francico more, incuria diuturnæ peregrinationis omiſſo, barbulam quiſque raſitare diſtulerat.* Hadrianus Valeſius, in notis ad Paneg. Berengarii pag. 191. ſeq. ad hunc ritum retulit hæc Gregorii Turonenſis lib. x. Hiſt. Franc. cap. 16. *barbatorias intus*

eo

eo quod celebraverit, quia in Gloſſis Stephani & Labbæi antiquis plus ſemel: *Barbatoria*, πωγονοκουρεῖα, πωγονοκουρία, & iterum: πωγονοκουρία *barbatoria*. Idem quoque, in diſſertatione, de ætate patriaque Petronii, exiſtimabat, impoſtorem Italum Petronianis ſuis quiſquiliis hac voce recentiore, ad morem vetuſtum exprimendum, uti voluiſſe. Verba Petronii cap. 73. *Tum Trimalchio, Amici, inquit, hodie ſervus meus barbatoriam facit, homo præſiſcini, frugi & micarius. Itaque tangomenas faciamus, & uſque in lucem coenemus.* Non diſplicuit hæc explicatio vocis *barbatoriæ* Scheffero ibi & Heinſio in notis, eaque mihi quoque veriſimilis videtur, ob verba ſequentia, *tangomenas faciamus*, id eſt barbam tangamus: quia aliorum de iis conjecturas parum probabiles eſſe exiſtimo. Sed apud Gregorium Turonenſem, Alteſerra, du Frenius & Ruinartus *barbaturias celebrare* explicant, barbas varii generis & peregrinas, more Satyrorum & Faunorum, ſibi aptando, larvas ſeu perſonas agere, *maſcarades* facere: ſic enim in quibuſdam Galliæ provinciis larvæ barbatæ *barboires* communiter appellantur, & Petrus Bleſenſis Epiſt. 14. *barbatores* cum mimis conjungit. Idque contextui magis congruit, quia Abbatiſſa culpatur, quod vittam, de auro exornatam, nepti ſuæ ſuper-

ſuperflue fecerit, ad barbatorias celebrandas? Fruſtra autem Spelmannus in Gloſſ. ad vocem *barbam* metuit, ne locus, ex Warnefrido ſupra allatus, efficiat Etymologis, qui Langobardos a longis barbis derivant: quamvis enim concedamus, ipſos primam lanuginem, tanquam *primitias juventutis*, ut eſt in Ordine Romano, Deo conſecraſſe, nihilominus deinde barbam in hircorum modum promittere poterant; neque omnibus hodie placet, quod Paulus Warnefridus lib. 1. de geſt. Lang. c. 9. tanquam certum pronunciat, Langobardos, ab *intactæ ferro barbæ longitudine*, nomen tuliſſe: Leibnitius enim tom. 1. Script. Brunſ. pag. 13. exiſtimat, ipſos, non minus ac Angrivarios, Marſos & Bructeros, a ſoli genere, *longos Bardos*, *lange boerden*, id eſt longam agrorum planitiem habitantes, dictos fuiſſe, unde & Bardevicum, Bardungau &c.

CAPUT XI.

De adoptione Principum vera, & honoraria, dicis & amicitiæ cauſa.

Multis nominibus adoptiones Principum Romanorum ab adoptionibus privato-

 rum

rum diverſas fuiſſe, ſupra vidimus pag. 260. ſolus enim Imperator, tanquam legum ſolennibus ſolutus, & verus Patriæ pater, pro arbitrio ſuo, ceu propinquum, ceu extraneum, ſucceſſorem ſibi, teſtamento, vel in Senatu, vel in Capitolio, vel in caſtris, etiam per literas abſentem declarabat, eumque *pro roſtris, vel in Senatu, vel in caſtris adoptatum nuncupabat*, Tacit. lib. 1. Hiſt. c. 17. Similiter Spartianus, in Ælio Vero cap. 2. *Cæſar eſt appellatus, non teſtamento, ut ante ſolebat, neque eo modo, quo Trajanus eſt adoptatus; ſed eo prope genere, quo noſtris temporibus, a veſtra clementia, Maximianus atque Conſtantius Cæſares dicti ſunt.* In eo autem conveniebant, cum privatorum adoptionibus, quod eoſdem pæne effectus, naturali generationi pares, habebant, & arrogatus a Principe fiebat *heres ſacrorum, nominis, & bonorum, totiusque juris*, ut ait Ulpius Crinitus, apud Flavium Vopiſcum, in Aurelian. c. 14. Ad jus illud Principis non quidem pertinebat ſucceſſoris deſignatio, quia Romanum imperium, etiam ſublata omni ſenatus & populi poteſtate, electitium fuit, & legiones, modo hæ, modo illæ, principem, prout libuiſſet, faciebant & deſtituebant. Sicut autem, durante Julia familia, imperium ex ſucceſſivo & electitio mixtum fuit, dum Princeps orbus, *reipublicæ*

cauſa,

cauſa, ſucceſſorem ſibi adoptabat, qui Senatus ſuffragio confirmabatur, Sueton. Aug. cap. 21. & Vellej. Paterc. lib. 11. c. 104. ita & poſteris temporibus rarum erat, ut filii demortuorum, ſive naturales, ſive adoptivi, a ſenatu, vel a militibus præterirentur. Tacitus lib. 1. Hiſt. c. 16. *Sub Tiberio, & Cajo, & Claudio unius familiæ quaſi hereditas fuimus: loco libertatis erit, quod eligi cœpimus. Et finita Juliorum Claudiorumque domo, optimum quemque adoptio inveniet.* Idem quoque obtinuit, diviſo imperio, in Oriente. Julianus orat. 1. ad Conſtantium: *Nam & Majores tui, & avi, & parentes, & fratres, & patrueles & cognati Imperatores omnes fuerunt, cum imperium aut legitime peperiſſent ſibi, aut ab iis, qui jam illud tenerent, adoptati eſſent.* Aliquando duplex adoptio, una privata, altera publica in uno eodemque concurriſſe videtur: nam Juſtinus, anno imperii nono & ultimo, ſororis ſuæ filium ſibi conſortem imperii adoptavit, uti Evagrius ſcripſit, & Mabillon lib. 11. de re diplom. c. 28 n. 12. ex nummo pulcherrimo probavit. Juſtinus vero ſine dubio, cum adhuc privatus eſſet, Juſtinianum jam heredem nominis & bonorum fecerat, cujus pater naturalis Sabbatius dicebatur, & cui jam antequam ad coimperium vocatus, Juſtiniani nomen hæſit; quo etiam Conſulatum

geſſit. Ad adoptionem igitur pertinet, quod Juſtinianus toties Juſtinum *patrem ſuum* vocat, in §. 3. *Inſt. de donat.* §. 4. *Inſt. quib. non eſt perm. l. ult. C. de advoc. div. jud. Nov.* 28. *&* 109. licet alii quoque eos, qui proxime deceſſerant, Imperatores, & agnatos, vel etiam prorſus alienos, & longioribus temporum intervallis remotos, *patrum* ſæpe & *parentum* nomine inſigniverint *l.* 5. *C. de mag. conv. l.* 1. *C. de repud. l.* 4. *C. ad SCt. Treb. l.* 1. *C. ne lic. potent.* Memorabile porro veræ adoptionis exemplum dabit Zonaras lib. XVII. Annal. c. 16. ubi refert, Michaëlem Calaphatem Cæſarem a Zoë adoptatum eſſe: *Senatu igitur & iis, qui comitatum Imperatorium explent, in Blacherinam ædem convocatis, Imperatrix producta in medium, & intra ſacrarii cancellos progreſſa, inde Michaëlem adoptatum pro filio ulnis accepit, eundemque Imperator ſtatim Cæſarem appellat, & populi frequentia conſalutat.* Poſſem antiquiores id genus adoptatos ſubjungere, præſertim eos, qui in regna, quæ pleno modo poſſidentur, & in patrimonio ſunt, ſucceſſerunt: nam Hyllus Æpalio Locrorum regi, apud Strabonem lib. IX. pag. 427. & Jugurtha Micipſæ, per adoptionem, in regnum Numidicum ſucceſſit, auctore Salluſtio bell. Jugurth. c. 10. 11. Sed horum jus dubio caret, quoniam adoptans adoptivum
non

non modo filii loco habebat, ſed eundem quoque hanc ob cauſam, ut ſibi ſuccederet, in proprium patrimonium adoptabat. In illis autem regnis, quæ libero conſenſu facta ſunt hereditaria, ea populi voluntas eſſe præſumitur, ut adoptivi excludantur; non modo, ut Grotius ait lib. II. c. 7. §. 16. quia nobilitas generis vere regii magis reverendos efficit reges, majorque de iis ſpes concipitur, ſed etiam ut Pufendorf. monet lib. VII. c. 7. §. 12. quod adoptivi per naturam non ſunt pars ejus familiæ, in cujus ſanguinem regia dignitas collata fuit: illa autem deficiente, populus ad ſe redire voluit facultatem diſponendi, quæ per adoptionem in perpetuum poſſet eludi. Celeb. Buddeus, in ſpecim. Juriſpr. Hiſt. §. 119. ſingularem de Imperatorum Romanorum adoptionibus fovet ſententiam, eas nempe ad ſucceſſionem profuiſſe, quod imperium fuerit in patrimonio Principum, qui poſt libertatem vi oppreſſam, jus quoque habuerint ſucceſſorem ſibi eligendi: id vero tota hiſtoria Auguſta refellit, & magis dixerim, populi Romani & Senatus tacito conſenſu id factum eſſe: tum quia mores legesque eadem fere jura, quæ liberi naturales habent, adoptivis dabant; tum ut defectus liberorum hoc remedio mature ſuppleretur, ne ſucceſſor in incerto eſſet; tum denique, quia plerique ſum-

mæ poteſtatis heredem non intra familiam quærebant, ſed optimum quemque loco populi eligebant. *Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus: non enim ſervulis tuis dominum. ut poſſis eſſe contentus quaſi neceſſario herede, ſed principem civibus daturus Imperator. Superbum iſtud & regium, niſi adoptes eum, quem conſtat imperaturum fuiſſe, etiamſi non adoptaſſes*, ait Plinius Paneg. c. 7. cui junge Tacit. lib. 1. Hiſt. c. 15. 16. & Vopiſcum in Tacito c. 6. Toto cœlo autem ab his adoptionibus veris differunt honorariæ, quæ fœdera magis & pacta amicitiæ erant, ad mutuam defenſionem inita, ex quo tempore populi ſeptentrionales imperium inundarunt. Exemplum ejus habet Jornandes de reb. Get. c. 53. in Theodemire, fratre germano Walemiris regis Gothorum, qui Hunimundo, Suevorum regi, in prœlio capto, *veniam condonavit, reconciliatuſque cum Suevis, eundem, quem ceperat, adoptans ſibi filium remiſit cum ſuis in Sueviam. Sed ille immemor paternæ gratiæ, poſt aliquod tempus Scirorum gentem incitavit.* Aliud eſt apud Nicephorum Bryennium, qui lib. IV. c. 38. Iſaacum & Alexium Comnenum ab Auguſta Marie, Nicephori Botoniatæ uxore, adoptatos refert, μεχρὶ λόγȣ, dicis cauſa, & ſine effectu adoptionis Romanæ. Alia exempla ex Evagrio, Ni-

Nicæta & Wilh. Tyrio congeſſit diligentiſſimus du Frêne ad Joinvill. p. 268.

CAPUT XII.

De adoptione Principum & Privatorum honoraria per arma.

Ex militiæ Romanæ moribus deſumptum eſt, quod Galba, apud Tacitum lib. I. Hiſtor. c. 18. ait, adoptari a ſe Piſonem, more divi Auguſti, *& exemplo militari, quo vir virum legeret.* Apud majores enim, cum graviora pericula inſtabant, milites in procinctu conſtituti, conſcii inter ſe mutuæ virtutis, ſinguli ſibi ſingulos, quos noſſent eſſe fortiſſimos, & ex præclaris ante facinoribus ſpectatos habebant, legere ſolebant, primus ſecundum, hic tertium, & ſic porro omnibus, ad extremum uſque, velut ſocios ſibi adoptantibus. Meminit ejus conſuetudinis Livius lib. IX. c. 39. lib. X. c. 38. Sueton. Aug. c. 35. & 54. Dio lib. 54. eamque Turnebus lib. XXV. adv. c. 7. Victorius lib. XVIII. Var. lect. c. 19. & Dodwell. prælect. ad Spartiani Hadrian. c. 4. latius explicarunt. Similitudinem quandam cum hoc ritu habet mos recentior Borealium populorum, honoris cauſa

aliquem per arma adoptandi, id eſt traditione armorum filium faciendi; quem priuſquam illuſtrem, adſcribam formulam ex Caſſiodoro lib. IV. n. 2. qua Theodericus Rex, Herulorum Regem adoptavit: *Per arma fieri poſſe filium, grande inter gentes conſtat eſſe præconium: quia non eſt dignus adoptari, niſi qui fortiſſimus meretur agnoſci. . . Et ideo more gentium & conditione virili, filium te præſenti munere, procreamus, ut competenter per arma naſcaris, qui bellicoſus eſſe dignoſceris. Damus quidem tibi equos, enſes, clypeos & reliqua inſtrumenta bellorum: ſed quæ ſunt omnimodis fortiora, largimur tibi noſtra judicia. Summus enim inter gentes eſſe crederis, qui Theoderici ſententia comprobaris. Sume itaque arma mihi tibique profutura.* Ludovicus de la Cerda ſuſpicatur, morem hunc in adoptionem dandi, Virgilii tempore Romanis notum fuiſſe, & ad eum alludi lib. XI. Æneid. vſ. 552. ubi pater Camillam haſtæ illigatam Deæ vovet:

Telum immane manu valida quod forte gerebat
Bellator, ſolidum nodis & robore coctô.
Huic natam libro & ſylveſtri ſubere clauſam
Implicat, atque habilem mediæ circumligat haſtæ,
Quam dextra ingenti librans ita ad æthera fatur:

Alma,

Alma, tibi hanc nemorum cultrix Latonia virgo
Ipſe pater famulam voveo, tua prima per auras
Tela tenens hoſtem ſupplex fugit, accipe, teſtor,
Diva tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.

Probabilius dici poſſet, cum du Frênio in voce *miles*, affinitatis aliquid eſſe in ritu Romano, quo cingulo donari dicebantur, qui militiæ alicujus armatæ vel palatinæ dignitatem accipiebant, eoque, ſi altioris eſſent ordinis, ab ipſomet Principe, ſi inferioris a majoribus magiſtratibus accingebantur. Sed purus putus ille mos eſt Septentrionalium gentium bellicoſarum, & Germanorum inprimis, de quibus Tacitus de morib. Germ. c. 13. *Arma ſumere non ante cuiquam moris, quam civitas ſuffecturum probaverit, tum in ipſo Concilio, vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus ſcuto frameaque juvenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos.* Cum enim gens tota ad militiam nata, & potentiam bellicam pro ſcopo ſibi haberet, nihil neque publicæ, neque privatæ rei, niſi armati & ſymbolis armorum agebant: ex armis captabant auſpicia & eventus bellorum: armis ferebant ſuffragia, duceſque ſcuto impoſitos inaugura-

 bant:

bant: per arma jurabant, emancipabant, manumittebant, dotem dicebant, liteſque decidebant. Arma quoque ipſis eorum ſpectaculis & funeribus adhibebantur; ut minime mirum ſit, par arma quoque honorariam adoptionem militum peractam, iiſque jus armorum conceſſum fuiſſe. Videſis Olaum Magnum Hiſt. ſeptentr. lib. VIII. cap. 5. 6. 9. 10. Goldaſt. rer. Alem. tom. 1. pag. 190. & Joh. Strauchii diſſert. III. ad Tacit. de M. G. quæ eſt, de armis German. eorumque ad remp. uſu. In univerſum omnibus promiſcue barbaris hunc morem, velut proprium, tribuit Procopius lib. 1. de bell. Perſ. c. XI. cum enim Cabades, Perſarum Rex, filium ſuum Choſroëm Iuſtino adoptandum offerret, quærenti Cabadi, quæ forma adoptionis Choſroi decreta eſſet, ſine ambagibus, Iuſtini legati reſponſum dedere, ὡς βαρβάρῳ προσήκει, εἰς ποιεῖσαι, *quia non per tabulas, ſed per arma & belli inſtrumenta barbari adoptantur*, id eſt Imperatores Orientis, non Romanorum more, in ſpem ſucceſſionis, ſed ritu barbarorum, Principes extraneos adoptant, quo armis uti poſſent. De Langobardis auctorem laudo Paulum Diaconum de geſt. Lang. lib. 1. cap. 23. *Audoin reſpondit, ſe patris convivam eſſe minime poſſe, ne ritum gentis infringeret: Scitis enim, inquit, non eſſe apud nos conſuetudi-*

nem,

nem, ut regis cum patre filius prandeat, niſi à rege gentis exteræ arma ſuſcipiat, hoc eſt per arma adoptetur. Oſtrogothorum eundem morem laudavit Iornandes de rebus Get. cap. 57. *Zeno, ad ampliandum Theoderici honorem, in arma ſibi eum filium adoptavit, de ſuiſque ſtipendiis triumphum in urbe donavit.* Idem honos contigit Eutharico, genero Theoderici, viro principi, ex nobili Amalorum ſtirpe, & Amalaſunthæ marito, ut Iuſtini Imperatoris filius per arma fieret; idemque præconium à Iuſtiniano petiit Athalaricus, hujus filius, apud Caſſiodorum lib. VIII. form. I. *Perpendite, quid à vobis mereatur ſucceſſor honorum. Vos avum noſtrum in veſtra civitate celſis curulibus extuliſtis: Vos genitorem meum in Italia palmatæ claritate decoraſtis. Deſiderio quoque concordiæ per arma factus eſt filius, qui unis vobis pæne videbatur æquævus. Hoc nomen adoleſcenti congruentius dabitis, qualia noſtris ſenioribus præſtitiſtis. In parentelæ locum noſter jam tranſire debet affectus: nam ex filio veſtro genitus naturæ legibus vobis non habetur extraneus. Atque ideo pacem non longinquus, ſed proximus peto: quia tunc dediſtis gratiam nepotis, quando meo parenti adoptionis gaudia præſtitiſtis.* Pluſcula hæc adſcripſi, ut intelligeremus, quod etſi hoc genus adoptionis honorariæ non perinde jus ſui heredis tribuerit, atque ea, quæ legi-

legibus Romanis facta eſſet, id quod etiam ex Procopio ſupra laudato patet, ac præter Petrum Pithœum lib. I. Adverſ. c. I. eruditiſſimus du Frêne in diſſert. 22. ad Joinvillam obſervavit, nihilominus imaginem cognationis vel affinitatis civilis ſic conſtitutam, ac in poſteros porrectam eſſe, quia Athalaricus ſe *nepotem Juſtiniani* vocat, id quod Conſtantinus Landus, in miſcell. numiſm. tom. I. miſc. Ital. pag. 505. ex argenteo nummo confirmare conatus eſt, cujus notas ſic explicat: IMP. IVSTINIANI NEPOS DN. ATHALARICVS REX: ſed valde turbat hanc conjecturam, quod Alemannus ad Procopii hiſt. arc. c. 6. contendit, formulam illam Caſſiodori ad *Juſtinum* eſſe ſcriptam, Guil. quoque Fornerius, ex veteribus Caſſiodori ſchedis, in notis idem probavit. Diſcimus præterea ex his, nullam ætatis adoptandi, nimirum ut octodecim annis minor eſſet adoptante, in honorariis hiſce, rationem habitam fuiſſe: nam Eutharicus Iuſtino, patri ſuo adoptivo erat *æquævus*, ut Caſſiodorus ait. Sic Maria Cantacuzena Sphendiſtlavum, Bulgarorum deſpotam, ætate majorem adoptavit, auctore Pachymere lib. VI. Hiſt. c. 2. Zurita item Annal. l. III. c. II. mutuam adoptionem Sanctium inter, Navarræ Regem, annos octo & ſeptuaginta natum, & Iacobum,

bum, Arragoniæ regem, vix annos quinque & viginti natum, hac lege initam eſſe, refert, ut alter alteri in regnum ſuccederet. Præterea non eſt putandum, hoc ritu ſolam adoptionem honorariam peractam eſſe; nam & eandem, in regnis, quæ Gothi & Langobardi armis quæſierant, ad ſucceſſionem valuiſſe legimus, apud Paulum Diaconum & Caſſiodorum in Chron. Francorum etiam hiſtoricus Gregorius Turonenſis lib. v. Hiſt. c. 18. ſcribit, Guntchramnum regem, quod liberos mares non habebat, nepotem ſuum Childebertum adoptaſſe, additque lib. VII. c. 33. traditionem per haſtam ſecutam eſſe: *Data in manu regis Childeberti haſta, ait: Hoc eſt indicium, quod tibi omne regnum meum tradidi.* Apud alias gentes *regna per gladium traduntur*, auctore Othone Friſingenſe lib. II. c. 5. ſed haſta ab antiquiſſimis temporibus, Iuſtino teſte, regiæ poteſtatis inſigne fuit, & reges Francorum inprimis eam pro ſymbolo habuere, uti ex annulo Childerici I. Regis Chiffletius, in Anaſtaſi cap. 7. probavit. Mitto, quod Romani quoque viros fortes haſta donarunt, teſte Polybio lib. VI. c. 37. Sueton. Claud. c. 28. & inſcriptione apud Grut. p. 350. n. 1. Denique notandum eſt, ab hiſce honorariis adoptionibus per arma, fluxiſſe ritum creandi Equites, inde a Caroli M. tempori-

poribus, per gladium accinctum, alapam militarem, percuſſionem dorſi, & induitionem calcarium; quibus deinde, ut ceteris adoptionum ſpeciebus, ſacra faciente Epiſcopo, benedictio armorum in Eccleſia ſolennis, jejunia & balnea accedebant, a quibus milites Anglorum de balneis, *knights of the bath*, nomen tulerunt. Alias proprio nomine *Milites*, nonnunquam *Quirites: Caballarii* Equites, apud Monachum Egoliſm. in Carm. c. 18. Καϐαλλάριοι a Pachymere lib. IV. c. 31. & hodie *Chevaliers*, vel *Ridders* appellantur, qui jus armorum pleniſſimum acceperunt, quod perſonam non egreditur. Conſuetudinis hujus exempla infinita Seldenus de titulis hon. p. II. c. I. in fin. du Frene in *arma* & *miles* & Matthæ. t.v. Anal. p. 554. collegerunt; ſed eminet inter illa inprimis, quod Albertus Stadenſis ad A. MCLXXXIV de Henrico, Friderici Imp. filio, ſcribit: *in celeberrima Moguntiæ Curia, miles factus eſt, in maxima gloria & honore.* Similiter Magnum Chronicon Belgicum A. MCCXLVII. de Wilhelmo, Comite Hollandiæ, Imperatore tunc electo, refert, quod ſacra faciente Cardinale, in æde Colonienſis urbis præcipua, a Rege Bohemiæ gladio accinctus ſit, impacto in collum tyronis ictu. *Rex Bohemiæ grandem dedit ictum in collo tyronis ita dicens: Ad honorem Dei omnipoten-*

potentis, te militem ordino, ac in noſtro collegio te gratanter accipio, ait Joh. de Beka in Otton. III. Epiſcopo, cui Goldaſtus addatur, t. III. conſt. pag. 400. Rex item Conradus, Friderici II. Imp. filius, apud Petrum de Vineis lib. III. ep. 29. Panormitanis nunciat, ſe *militiæ cingulum*, *quod reverenda ſancivit antiquitas*, ſuſcepturum. Ordericus Vitalis lib. VIII. de Henrico, poſtmodum rege Anglorum primo; *Lanfrancus, Dorobernenſis Epiſcopus, eum lorica induit, & galeam capiti ejus impoſuit, eique, ut Regis filio, & in regali ſtemmate nato, militiæ cingulum in nomine Domini cingit.* Nonnunquam traditio ſcuti & impoſitio galeæ accedebat, ut Goldaſtus obſervat ad Wiensbeck. pag. 402. Huc etiam pertinet, quod du Frene conjecit, Gallorum verbum *adobare*, armis inſtruere, ex *adoptare* confectum eſſe, quod qui aliquem armis inſtruit & militem facit, eum quodammodo adoptet in filium. Hinc etiam *in militem adoptare* eſt vaſallum ſibi aliquem facere, apud Adam. Bremenſ. c. 152. *Hermannum Comitem adoptavit in militem.* Quanti honos cinguli apud Suecos fuerit, Loccenius docet lib. III. Antiq. Sueo-Goth. c. 7. De Germanis Burgundus lib. I. Hiſt. Bav. circa fin. de aliis Schurtzfleiſchius in diſp. de ordine. vell. aur.

§. 4.

§. 4. 6. & pleniſſime Auctores obſervat. Halenſ. 2. 3. 4. 5. & 6. tom. II.

CAPUT XIII.

De adoptione Principum & Privatorum in fratrem, per Preces, per Arma, & per ſanguinis Potum.

Varia hactenus, ut alius ex alio ſermo naſcitur, adoptionis in filium, veræ & honorariæ, ſymbola vidimus: ſupereſt, ut quædam de adoptione in fratrem dicamus. Jure Romano ei, qui ſui juris eſt, licet fratrem naturalem adoptare in locum filii *l.* 42. *D. de bon. libert.* filio etiam naturali fratrem vel ſororem adoptivam addere permittitur *l.* 12. §. *fin. l.* 17. *D. de ritu nup:. l.* 3. *D. unde cogn.* extraneum vero in locum fratris adoptare non licet, *l.* 7. *C. de hered. inſtit.*; quia adoptio naturam imitatur, quæ liberos tantum, non vero fratres facit. Harmenopulus lib. IV. tit. 6. n. 20. *Fratris adoptio earum rerum numero habetur, quæ fieri nequeant, aut non ſoleant: unde & matrimonium non impedit. Adoptio ſiquidem naturam imitatur; at nemo ſibi fratrem gignit.* Nec tamen defuiſſe, qui hujuſmodi ado-

adoptionem fecerint, & facere voluerint, tum ex hoc loco, tum ex reſcripto Diocletiani ad Zizonem in *d. l.* 7. ſatis colligere licet; ubi in verbis, ***nec apud peregrinos fratrem ſibi quiſquam per adoptionem facere poterat***, indicare voluit, ne quidem apud barbaros Septentrionales populos, adoptiones, quas in fratrem faciebant, jus ſucceſſionis poſt ſe traxiſſe; quia honoris tantum & amicitiæ cauſa celebrabantur. Enimvero adoptare ipſis Latinis non ſemper notat in familiam & in jus filii adſciſcere, ſed eum, quem optamus, adſumere, ſeligere, cum eoque nomen noſtrum communicare: hinc ***adoptatiſſimus***, pro optatiſſimus, eſt apud Ciceron. lib. v. ep. 9. & xvi. ep. 21. qui & defenſorem juris adoptare dixit, Divin. c. 16. Plinius lib. III. Hiſt. nat. c. 1. ***Batis provinciam adoptat***, id eſt nomen ſuum provinciæ impertitur; & lib. v. c. 29. ***Hermus campos nomini ſuo adoptat.*** Rurſus lib. IX. c. 22. ait Sext. Pompejum Neptunum ſibi ***patrem adoptaſſe***, & lib. XVI. præfat. pomiferas arbores ***adoptione & connubio*** blandos ſapores diſcere. Non minus late *fratris* appellatio patet, & ad alios, nullo ſanguinis vinculo junctos, affectionis, amoris, officii, & ætatis nomine transfertur. Hinc qui frater non eſt natura, ſed fraterna caritate diligitur, recte frater, quaſi fere alter, appellatur *l.* 58. §. 1. *D. de hered.*

 inſt.

inſt. & ſocietas jus quodammodo fraternitatis inter ſe habere dicitur, in *l.* 63. *D. pro ſoc.* Quintil. declam. 320. *Sociorum communia damna & lucra ſunt. Sacra res eſt*, & *quædam fraternitas propoſitorum animorum.* Noti ſunt Sacerdotes *Fratres Arvales*, & *fratres fabriles*, ex uno corpore fabrorum: Ædui & Batavi *amici & fratres* Romani imperii; alibi montes & fluvii *fratres*, & civitates *ſorores* dicuntur. Optime Quintilianus decl. 321. *Certe quoties blandiri volumus his, qui eſſe amici videntur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen poteſt, quam ut fratres vocemus; adeo inane etiam nomen & umbra naturæ videtur ſimile amicitiæ nomen imponere.* Non mirum ergo eſt, quod nexus amicitiæ inter duas perſonas pares contractus, adoptionis nomine inſignitur: nam & amatores ſororem ſibi adoptant; *Quid prohibet ſororem adoptare?* ait Petron. cap. 127. De Moſella fluvio Auſon. vſ. 430. *tu fratrem, fama ſecurus, adopta*, & pulchre Horat. lib. 1. Ep. 6. vſ. 54.

- - - frater, pater adde,
Ut cuique eſt ætas, ita quemque facetus adopta.

Nimirum artificium ſalutationis erat, magnificis & blandis nominibus cives compellare, prout cujusque dignitas, ætas vel ingenium ferebat; hinc Flaccus præcipit nomenclatori, ut

ut facetus ſibi quemlibet in patrem, fratrem, amicum adoptet: eodem lato ſenſu, quo Cicero in Bruto jocatur, C. Stajenum ſe ipſum, in nomen C. Ælii Pæti, adoptaſſe, & Plinius lib. VII. H. N. c. 35. Syllam, in cognomen Felicis a ſemetipſo adoptatum fuiſſe, culpat, cum mortalium nemo ſit felix, ſi repudiata fortunæ ambitione, verum judicium placet. Niſi fallor, ſatis ſuperque ex his impropria adoptio in fratrem defenditur; cujus primum exemplum ab Auguſtis petam, qui conſortes imperii adſcitos *fratres* appellarunt, etſi iiſdem parentibus geniti non eſſent, quia *in Auguſti nomen omnes, velut quadam adoptione, aut jure hereditario ſuccedebant*, auctore Lampridio in Alex. Sev. cap. 10. Sic Maximianum Herculium, Diocletiani fratrem vocat Lactantius, de mort. perſec. c. 8. *Quid frater ejus Maximianus, qui eſt dictus Herculius, non diſſimilis ab eo?* at ex panegyrico, quem Mamertinus Herculio dixit, Baluzius, Cuperus & Toinardus obſervarunt, Herculium non natura, ſed electione Diocletiani fratrem fuiſſe: *Diverſum ſanguinem*, inquit is cap. 7. *affectibus miſcuiſtis. Non fortuita in vobis germanitas eſt*, & Eumenius in paneg. 1. ad Conſtantin. M. *Hunc ergo, qui ab illo fuerat frater adſcitus, puduit imitari.* Ceteri quoque Reges, ob æqualitatem majeſtatis & ſummæ poteſtatis, ſe in-

 vicem

vicem olim *fratres* & ἀδελφὲς, prorſus ac hodie, appellitabant; uti Achabus, Rex Iſraëlis, Benhadadum Syriæ Regem, fratrem ſuum vocat 1 Reg. xx. vſ. 32. & Conſtantinus M. Saporem, Perſarum Regem, atque hic viciſſim Conſtantium Cæſarem, apud Euſeb. lib. IV. de vit. Conſt. & Ammian. Marcell. lib. XVII. c. 5. ubi alia id genus exempla Valeſius in notis; item Frenius ad Annam pag. 274. & Mabillon lib. II. de re diplom. c. 2. n. 15. ex ſacris & profanis ſcriptoribus conſignarunt. Verum Auguſti fratres id proprii habent, quod alter alterum in ejuſdem imperii conſortium adſcivit, & *uterque ſe voluit eſſe, quod frater eſt*, ut in Genethliaco ait Mamertinus. Enimvero quos nuncupabant Auguſtos, *fratres* Imperatoris dicebantur: qui fiebant Cæſares, in filiorum nomen veniebant, & *filii* Auguſtorum vocabantur. Lactant. de M. P. c. 20. de Maximiano: *Habebat ipſe Licinium veteris contubernii amicum, & a prima militia familiarem, cujus conſiliis ad omnia regenda utebatur. Sed eum Cæſarem facere noluit, ne filium nominaret, ut poſtea in Conſtantii locum nuncuparet Auguſtum, atque fratrem.* Pariter igitur ac Auguſtus, in nummis, apud Goltzium, ſemper CÆSAR DIVI IVLI F. nuſpiam vero Octavii filius appellatur, & Tiberius, tertius populi Rom. Imperator, in faſtis Con-

ſula-

ſularibus, & in lege regia, Veſpaſiano lata, TI. IVLIVS. AVGVSTI FIL. D. IVL. N. CÆSAR. AVG. Livia rurſus, in familiam Juliam nomenque Auguſtæ teſtamento adſumta, in nummis, IVLIA AVGVSTI FILIA, & in altera parte, DIVVS AVGVSTVS PATER, apud Spanhem. tom. II. de præſt. & uſu num. diſſ. XI. p. 273. vocatur. In alio item Trajanus audit NERVÆ AVG. F. cum voce ADOPTIO, apud Triſtanum t. I. pag. 378. & rurſus in æneo, apud Angeloni pag. 147. Trajanus togatus Hadriano, pariter togato, orbem Romanum regendum tradit, cum inſcriptione DIVI TRAIANI F. & infra ADOPTIO: ſic etiam Diocletianus & Maximianus, reſpectu Cæſarum, PATRES, & hi illorum FILII, intuitu conſortii autem in imperio FRATRES dicuntur, in pulcherrima inſcriptione, apud Gruter. pag. 178. n. 7. quam Gisbertus Cuper. ad Lactant. pag. 141. illuſtravit. Adde, quod ſimiliter Galerius & Conſtantius apud Spartianum in Ælio Vero c. 2. *Cæſares dicuntur, quaſi quidam Principum filii, & deſignati auguſtæ majeſtatis heredes.* Ipſe etiam Lactantius de M. P. c. 18. duos *majores*, qui ſummam rerum teneant, duobus *minoribus*, qui ſunt adjumento, opponit. Hoc amplius Ill. Spanhemius, ad Juliani orat. I. notat, hujuſmodi

fratres imperii adſumtos, rectius adſcitos, quam adoptatos appellari, quia ne Princeps quidem ſibi fratrem, contra naturam, facere poteſt; atque ideo verba Juliani ἢ παρὰ τῶν κρατούντων εἰσποιηθέντες, non pro adoptivis ſolum, uti poſteriorem vocem reddidit Petavius, ſed etiam pro adſcitis in potentiæ ſocietatem fratribus accipienda eſſe, quemadmodum idem verbum Valeſius apud Euſeb. lib. VIII. Hiſt. eccl. c. 30. per *adſciti ſunt* recte interpretatur. Atque ita Ammianus Marcellinus lib. XXVII. c. 6. *Nec enim quiſquam ante hac adſcivit ſibi* (non adoptavit) *pari poteſtate collegam, præter Principem Marcum, qui Verum, adoptivum fratrem, abſque diminutione aliqua majeſtatis Imperatoriæ, ſocium fecit.* L. Verum hic appellat Marci *adoptivum fratrem*, non quaſi is a Marco Aurelio in fratrem fuerit adoptatus, ut ſubinde in hiſtoria Auguſta legitur, & Dodwellus ad Spartianum prælect. 18. n. 3. hac in parte adoptiones Principum licentiores fuiſſe exiſtimavit; ſed quia Antoninus Pius utrumque, & Marcum & Verum, tanquam duos filios & fratres adoptarat, quorum prior alterum deinde in imperii ſocietatem adoptavit, uti ex Capitolini Antonino c. 4. & Marco c. 7. item ex Spartiani Ælio Vero c. 5. & Severo cap. 20. conſtat, & Caſaubonus in notis, ex Dione Caſſio, monere non neglexit. No-
lim

lim quoque ad licentiam Principum referri, cum Dodwello, quod Septimius Severus, legum exactor ſeveriſſimus, fratrem ſibi adoptavit Commodum, & patrem Marcum, utrumque defunctum, & communes cum Marco majores: nam Dio & Spartianus c. 10. notant, eum in Marci familiam hoc colore tranſire voluiſſe. Atque hæc de veris Principum gentilium adoptionibus in fratrem hoc loco ſufficiant. Apud populos autem Chriſtianos, præſertim Græcos, frequens, tam privatis, quam Principibus, fuit ἀδελφοποιΐα, quæ & ἀδελφοποίησις, & ἀδελφοπιστία, ſive jurata fraterna fides, vel *adoptio in fratrem:* quæ ſpeciem quandam affinitatis peperiſſe videtur, ſi Annam Comnenam, lib. x. Alexiad. ſequimur, ubi de pſeudo Diogene agit; nullum vero nuptiis attulit impedimentum, uti Demetrius Chomatenus, Archi-Ep. Bulgariæ pag. 315. Matth. Monachus de cauſ. matrim. pag. 479. aliique nos docent. Contrahere illam ſolebant, præſtito jurejurando, de fide mutua ſervanda, vel inimicitiis exuendis, coram Sacerdote, ante altare, & pias preces addebant, quarum formula eſt in Euchologio pag. 898. ἀκολουθία εἰς ἀδελφοποιΐαν πνευματικήν. Chryſoſtomus Homil. 114. ἀδελφοποιῆσαι τὸν Χριστὸν dixit. Conſtant. in Baſilio cap. 10. πνευματικὴν ἀδελφότητα appellavit. Differt arctior hæc fraternitas

à communi illa, qua omnes Chriſtiani cenſentur: ſive ob communem patrem & adoptionem divinam, qua omnes conſortes ſunt ejuſdem fidei, & ſpei coheredes, ut ait Minutius Felix: ſive quod omnes homines pro fratribus diligerent, ut Lactantius & Hieronymus voluerunt. Hujus fraternitatis pluribus locis meminit Tertullianus, ſed unus nobis ſufficiet in Apolog. c. 39. *Sed & quod fratrum appellatione cenſemur, non alias (opinor) infamant, quam quod apud ipſos omne ſanguinis nomen de affectatione ſimulatum eſt. Fratres autem veſtri ſumus jure naturæ, matris unius, etſi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur & habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt, qui unum ſpiritum biberunt ſanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejuſdem ad unam lucem expaverunt veritatis.* Verum ſpiritualis illius & honorariæ adoptionis fraternæ exempla, larga manu, apud du Frenium diſſert. 21. ad Joinvillam, ex Codino, Simeone Metaphraſte & Anna Comnena, congeſta, deinde in Gloſſario Græc. voce ἀδελφοσύνη duobus illuſtribus aucta, videre licet. Eminet inter illa quam maxime, quod Baſilius Macedo, poſtea Imperator, a Joanne hoc modo adoptatus, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐποίησεν ἀδελφοποίησιν, ait Leo Grammaticus in Michaele, Theophili filio pag. 460. & Scylitzes, in Michaele

chaela Methyſta pag. 562. & 586. Aliud non minus memorabile exemplum Thwrocz Hiſt. Hung. in Ladiſlao cap. 59. refert, Ladiſlaus nempe, ut teſtaretur, ſe magni Hunniadis filios in gratiam recipere: *utroſque Comites, Ladiſlaum & Matthæum, fideli ſub juramento, ſuper ſacratiſſimo corpore Chriſti præſtito, in fratres adoptavit:* forſan ſimilia verba uſurparunt, quibus Paſchalis II. cum Henrico V. ſumta ac diviſa Euchariſtia, uſus eſt: *Sicut pars iſta vivifici corporis diviſa eſt, ita diviſus ſit à regno Chriſti, qui pactum iſtud rumpere ac violare tentaverit.* Apud Latinos medii ævi, ſi monaſticam fraternitatem excipias, ejuſmodi *ἀδελφοὶ πνευματικοὶ* & *ἀδελφοποιητοὶ*, uti in Nomocanone Cotelerii c. 190. & 200. vocantur, ſunt rariores: niſi huc referre velis *Conjuratos fratres*, apud Dunelmenſem pag. 190. & *Conjuratos ſodales*, apud Adamum Bremenſem cap. 247. nobiles nempe viros, qui, ſacramento ſibi invicem dato, fraternum fœdus iniverant, ad mutuam defenſionem. Frequentior his fuit adoptio honoraria in fratrem *per arma;* quando amici reciproca donatione, ſive permutatione armorum, fidem fraternam & auxilium adverſus hoſtes ſibi promittebant: Martii enim populi nullam rem magis habebant gratam, qua amorem teſtarentur. Mitto quod apud Homerum, Glaucus & Diomedes jam

arma inter ſe mutarunt, Iliad. ζ. vſ. 235. ſed Florentius Wigornienſis & Ethelredus, de Edmundo & Knuthone, in regni diviſionem conſentientibus, ſcribunt: *diſpoſitis armis in oſcula ruunt, deinde in ſignum fœderis veſtem mutant & arma, reverſique ad ſuos, modum amicitiæ paciſque præſcribunt, atque pace, amicitia, fraternitate, pacto & ſacramento firmata, regnum dividunt.* Plane apud Germanos fratrum appellatio, tam frequens fuit, ut Strabo lib. VII. & Plutarchus, in Mario, a fraternitate ipſos nomen tuliſſe conjecerint. *Quis enim amicior, quam frater fratri?* quærit Salluſt. Jugurth. cap. 10. Ἀδελφοὺς τοὺς ἀληθινοὺς φίλους, ait Menander. Eumenius in grat. act. fratris nomen & *communionem amoris, & dignitatis æqualitatem ſecum vehere*, dixit. Multus in explicanda fraternitate, per contactum armorum, juncto ſacramento contracta, eſt du Frene in ſæpius laudata diſſert. 21. ad Ioinvillam, ubi *juratos in arma* apud Corippum eoſdem eſſe oſtendit, qui *Freres d'armes* apud Francos dicuntur. Refert Gothofredus Malaterra lib. II. cap. 42. Saracenorum aliquem potentem, cum Serlone, Roberti Guiſcardi fratre, arctiſſimum fœdus iniviſſe, *eorumque more per arma adoptivum fratrem, alter alterum factum, viciſſim ſuſceperat.* Durat hodie apud Germanos ἀδελφότης quædam συμποσιακή, nec

Digitized by Google

nec multo minus religioſe ſæpius, quam alibi cara cognatio colitur: pariter ac olim de *reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus in conviviis conſultabant; tanquam nullo magis tempore, aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat*, ait Tacitus de M. G. c. 22. Tolerabilior utique hæc eſt conſuetudo, præ barbara illa veterum, mutuum corporis ſanguinem, ſecta cujuſque vena, bibendi, in fœderis fidem, & ſignum, quod inpoſterum, tanquam conſanguinei victuri eſſent. Herodotus lib. 1. c. 74. de Lydis & Medis: *Ineunt hæ gentes fœdera, tum cetero ritu Græcorum, tum inſecando brachia, donec ſimili colore ſunt, ac mutuum ſanguinem delingendo.* Eundem Carmanorum morem, mutuum ſibi ſanguinem, in firmandis amicitiis, propinandi, narrat Athenæus lib. 11. c. 7. Simile Scytharum, Armeniorum & aliquot aliarum nationum inſtitutum Schottus lib. 111. Obſ. c. 10. & Lipſ. ad illa Taciti lib. XII. Ann. c. 46. notarunt: *Mos eſt regibus, quotiens in ſocietatem coëant, implicare dextras pollicesque inter ſe vincire, nodoque perſtringere: mox ubi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt, id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum.* Tertullianus in apolog. c. 9. neſcit, quid & ſub Catilina deguſtatum ſit, is

is enim pateris dicitur circumtuliſſe ſanguinem vino permixtum, cum populares ſceleris ſui ad jusjurandum adigeret, ut eum poſt exſecrationem deguſtarent, auctore Salluſt. bello Catil. c. 23. De barbaris Hiberniæ populis, vide Matth. Pariſ. A. 1236. de Græcis Nicetam in Iſaacio l. 11. n. 5. De Conſtantinopolitanis & Comanis Ioinvillam in Hiſtor. S. Ludovic. p. 94. ibique du Frene; cui inter paucos, qui hanc adoptionem honorariam in fratrem attigerunt, palma deferenda eſt, nec quemquam ad eum adiiſſe pœnitebit.

TANTUM!

CATALOGUS
VARIORUM
LIBRORUM,
Qui in Officina
ANTONII HOFMANS
Proſtant.

Albinovani Opera. 8. cum fig.
Antonini Lib. Metamorphoſis c. n. Berkeli. 12.
Biblia 70 Græca Bos 4.
Bible Ooſtervalt. fol.
Burnetii Telluris Theoria Sacra. 4.
Brouërius de Adorationibus cum fig. 8.
Bernouilli de Gravitate Ætheris cum fig. 8.
Bevegeri Codex Canonum Eccleſiæ primitivæ. 4.
Belli Romanorum Antiquitates. 8.
Caſlauboni Epiſtolæ. fol.
Cuperi Hiſt. Chronolog. Sacra. 8.
Carpzovii proceſſus Juris. fol.
Crenii faſciculi 10 vol. 8.
- - faſcis 5 vol. 8.
- - Helvici Elenchi Judaicæ. 8.
- - Analecta Sacra. 8.
Coccei Opera.

Dale

Dale (D. v.) ſuper Ariſtæi. 4.
Dodwel de Ætate Phalaridis & Pythagoræ
optatus Milevitanus. fol.
Du Pin.
Ennii fragmenta. 4.
Epicteti Enchiridion Græc. & Lat. Relandi.
Fabri Theſaurus.
Forbeſii Opera.
Fabricii Bibliotheea Græca compleet.
Gaſſendi Philoſophia Epicuri.
Glaſſii Philologia Sacra. 4.
Grævii Syntagma Diſſertationum Rariorum. 4.
Grotius de veritate Religionis Chriſtianæ. 8.
Gurtleri Synoſis Theologiæ. 8.
Grotius de Jure Belli ac Pacis Barbyrac. 8.
Grotii principia Juris Naturalis. 4.
Gronovii Harpocrationis Lexicon. 4.
Galæi Idea Theologiæ. 8.
Hammond in N. Teſtamentum. fol.
Huberi Prælectiones 3 vol. 4.
Horatius Bentlei. 4.
Heineccii Antiquitates 2 vol. 8.
Hildeberti Opera. fol.
Hulſemannus in Jeremiam & Threnorum. 4.
Hottingeri de Decimus Judæorum. 4.
Placette de Inſanabili Romanæ.
Eeclefiæ Scepticiſmo.
Stochauze de Cultu ac uſu luminnm Antiquo.
Tolli Inſignia Italici.

Apud eundem etiam plurimi in omni facultа e libri conveniunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

5802953

Digitized by Google